

Annus,
9^{vo}
Desuper
Cupit 9^{vivis}
Meliora!


Symb.
Quaer Reformationem!
Iud. VIII, 22

Rhina
Zachariae
P. HV

Sammelband

f. 152

+





Sammelband

6 f
152.



DISPUTATIO THEOLOGICA
DE ECCLESIA

Q V A M

A VSPICE DEO OPT. MAX.

SUB PRAESIDIO

M. BALTHASARIS CELLARII
S.S. THEOLOGICÆ PROFESSORIS
ORDINARIÏ ET SUPERINTEN-
DENTIS, PRÆCEPTORIS SVI,
IN ACADEMIA IVLIA

PUBLICO EXAMINI

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS

Die XXIIIX. Iunij

Exponit

M. SAMVEL FRIDERICVS BORN
Salfeldâ Thuringus.



HELMÆSTADI,
Typis HENNINGI MULLERI.

ANNO MDCCL



SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO

DN. FRIDERICO
VVILHELMO DVCI SAXONIÆ, IVLIA-
CI, CLIVIÆ, ET MONTIVM, LANDGRA-
VIO THURINGIÆ; MARCHIONI MISNIÆ; COMI-
TI MARCÆ AC RAVENSBURGI; DOMI-
NO IN RAVENSTEIN &c.

DOMINO SVO CLEMENTISSIMO
S. P. D.

M. SAMUEL FRIDERICUS BORN.

Vi rerum potiuntur SERENISSIME
PRINCEPS, ad eos non minus Eccle-
siæ quam Reipublicæ curam spe-
ctare, dubium non habet. Aristo-
teli id adeò est certum, ut eam, quæ est *ἡ πρώτη ὄν-
τιον, ἐπιμέλειαν* primam & præcipuam, in civitate
esse, affirmare minime dubitet. Vti enim
eorum, qui principatum tenent, est, omni-
bus modis cavere, ne Respublica aliquid de-
trimenti patiatur: ita & oportet eos sedulo
pro-

prospicere, ne Ecclesia Dei, quam sanguine suo acquisivit, erroribus contaminetur, aut contentionibus in partes scindatur, aut imperitis morumque integritate destitutis regimen ejus committatur. *Cognoscunt, ait alicubi Isidorus Hispalensis, Principes seculi, Deo se debere rationem reddere propter Ecclesiam, quam à Christo tuendam suscipiunt. Nam siue augeatur pax & disciplina Ecclesia per fideles Principes, siue solvatur, ille ab eis rationem exigit, qui eorum potestati Ecclesiam suam credit.* Hæc, Serenissime Princeps, uti Te minimè fugiunt, ita utriq; curæ tantopere invigilas, ut majori studio possit nemo. Nulli labori, nullis curis, nullis sumptibus parcis, tantum ut respublica tua & quæ in ea est, Ecclesia pacata sit floreatq;. Habes id commune cum Tito maximi nominis Imperatore, qui cum se perdidisse diem existimabat, quo beneficio neminem affecerat. Hinc tot ac tantis beneficiis Tibi subjectos quotidie devincis, ut Te PATREM PATRIAE omnes meritò salutent proque Tua incolumitate pia ad Deum vota certatim fundant. Ego sane in præcipua felici-

licitatis meæ parte deputo, quod in solo Tuo
natus, meiq; cura ad Te quoq; pertineat. Li-
cet enim mea studia usibus Ecclesiæ jamdu-
dum consecraverim; tamen ob sumtuum de-
fectum in Academiis ea continuare non lice-
bit, nisi decantatissima Munificentia Tua ijs
subvenerit. Eam igitur ob causam Disputati-
onem hanc in Academia Iulia habitam Sere-
nitati T. ea, qua par est, animi subiectione of-
fero, supplex orans, ut & meorum studiorum
aliquam rationem habere non dedignetur.
Ego uerò mortalium ingratiſſimus ſim, ſi pro
perenni Tuæ Seren. felicitate unquam deſinã
precari. Ita ergò TE, Seren. Dux, Illuſtr. Prin-
ceps, diu hîc incolumem præſtet & tandem
æterna proſperitate bect is, qui unus ſua Tuis
Virtutibus exæquare poteſt præmia. Faxit
idem, ut quemadmodum Pax civilis, Pax una
triumphis innumeris potior, Tuis quoq; au-
ſpicijs uniuerſo per Germaniam imperio
nunc reſtituta eſt: ſimili ratione Pax Eccleſiæ,
Te Duce, aliquando reſfloreſcat: in quo San-
cto Voto finio. Dabam Helmſtadt in illu-
ſtri Academia Iulia menſe Iunio Anno 1650.



Σὺν τῇ Θεῶ.

THESIS I.



Quatuor præcipuè sunt, ad quæ omnia, quæ in Ecclesia Christi traduntur, commodè revocari possunt. *Primum* sunt CREDENDA seu ARTICVLI FIDEI, sine quorum notitia nemo ad ultorum salutem æternam adipisci valet. ALTERVM sunt SACRAMENTA, ab ipso Christo Salutis nostræ promovendæ & spiritualis gratiæ vel conferendæ vel obsignandæ ergò instituta. *Tertium* sunt MORVM DOGMATA, ad id facientia, ut fideles abnegata impietate & mundanis cupiditatibus temperanter justè & piè in præsentè seculo vivant. *Quartum* denique sunt RITVS externum in Ecclesia ordinem concernentes, de quibus ipse Christus nihil expressè mandavit, potestate eos instituendi Ecclesiæ relictâ.

II. Est autem VOX ECCLESIAE, de qua præsens instituitur Dissertatio, origine græca, pluresq; admittit significationes. Significat enim I IN GENERE QVEMVIS COETVM AVT CONGREGATIONEM. Hinc Act. XIX, 32 Ephesiorum conventus à Demetrio fabro argentario convocati Ecclesia vocatur. *Quidam*, inquit, Lucas, ex Asiarchis quum essent ei amici, nuncij ad eum (Paulum) missis, rogârunt, ne sedaret in Theatrum. *Alij* igitur aliud clamabant: erat enim ECCLESIA CONFVSA, & pleriq; nesciebant, cuius rei causa convenissent. 2. LOCVM, IN QVO HOMINES SACRIS OPERANTVR h. e. Deum celebrant, preces fundunt, verbum Dei docent & audiunt, Sacramenta dispensant & usurpant. Ita juxta nonnullos vox hæc usurpatur ab Apostolo I. Cor.

A

XIV. 34.

xiv. 34. quando mulieres. IN ECCLESIAIS filere jubet h. e. ne publico docendi munere fungantur, nisi fortè speciale ad id DEI mandatum habuerint. *Filiae enim Philippi* $\pi\epsilon\gamma\phi\eta\tau\epsilon\upsilon\sigma\sigma\alpha\iota$, quarum mentio fit Act. xx i. 9. hoc Apostoli præcepto procul dubio non tenebantur. Extra controversiam autem ita usurpatur ab Eulebio, ubi Marinum mox martyrium passurum à Theoteco Casarea Episcopo IN ECCLESIAM ejusq; sanctuarium prius introductum ibiq; egregiè confirmatum narrat. Ipse quoque Augustinus, ut alios modò taceamus, ita nomē ECCLESIAE accipit, quando de Paulo & Paliadia ait: *Venerunt autē (ad nos) ante pascha fermè dies quindecim, ecclesiam quotidie, & in ea memoriam gloriosissimi Stephani frequentabant orantes, ut jam sibi placaretur Deus & salutem pristinam redderet.* Erant a., ut idem in præcedentibus narrat, *ambo maledictō matris tali pœna divinitus coërciti, ut tremore membrorum horribiliter quaterentur.* Loca hæc sacris conventibus destinata solent & BASILICAE à veteribus appellari, cujus appellationis rationem hanc reddit Isidorus. *Basilica, ait, prius vocabantur Regum habitacula, unde & nomen habent, nunc autem divina templa idè Basilica nominantur, quia ibi Regi omnium Deo sacrificia & cultus offeruntur.* 3. COETVM FIDELIVM h. e. eorum, qui fidem christianam amplectuntur sive veram sive mortuam habuerint fidem.

I. VII. hist.
Ecel, c. XIV.

L. XXI. de
Civ. Dei c.
VIII.

III. Prout verò vox Ecclesiae coetum fidelium notat, rursus diversimodè accipitur. I. n. accipitur PRO PASTORIBVS ET DOCTORIBVS ECCLESIAE. Quam significationem hæc vox procul dubio obtinet Deut. xxiii. 1. 2. & 3. ubi *Eunuchus, spurius, Hamonita, item & Moabita Ecclesiam Domini ingredi prohibentur* h. e. à sacerdotio & ministerio ecclesiastico excluduntur. Pariter illud Matth. xviii. 17. Dic Ecclesiae; Chrysostronus DE DOCTORIBVS ECCLESIAE inter-

interpretatur. 2. PRO COETV FIDELIVM VNIVS DOMVS SEV
FAMILIAE : Sic accipitur Rom. XVI. 3. 5. *Salutate Priscam
& Aquilam, adjutores meos in Christo Iesu* — Item qua in domo
illorum est ἐκκλησία CONGREGATIONEM. Item I. Cor. XVI.
19. *Salutant vos in Domino multum Aquila & Priscilla* οὐ τῆ
κατ' οἶκον αὐτῶν ἐκκλησία cum ea, qua in domo est ipsorum Ec-
clesia. Et hæc Ecclesia potest dici DOMESTICA. 3. PRO
FIDELIBVS VNIVS ALICVIVS LOCI ut 2. Cor. I. I. ubi men-
tio fit Ecclesiae Dei, quæ est Corinthi. Coll. IV. 16. ubi
fit mentio Laodicensium Ecclesiae. II. Thess. I. I. ubi apo-
stolus meminit Ecclesiae Thessalonicensium. Et hæc potest
dici Ecclesia PARTICVLARIS. 4. denique PRO FIDELIBVS
QVI SVB VEXILLO CHRISTI SALVATORIS MILITANT, VBI-
CVNQVE TERRARVM HABITAVERINT. Et hæc aliàs dicitur
Ecclesia VNIVERSALIS. De hac loquitur Christus, quan-
do ait. Math. XVI. 28. quod *contra Ecclesiam ne porta infe-
rorum sint prævalitura* h. e. quod neq; persecutiones ne-
que flagitia, neque hæreses fundamentum salutis subver-
tere potuerint. De eadem Ecclesia intelligendum, quando
I. Tim. III. 14. *Ecclesia Dei vivi dicitur.* στήλη καὶ ἐδραίωμα
τῆς ἀληθείας *Columna & stabilimentum Veritatis* : in ea enim
Veritas coelestis reposita adservatur, de qua & testimoni-
um perhibet. Veritas quidem coelestis principaliter re-
posita est in sacris Scripturis, è quibus omnia ad Salutem
creditu & factu necessaria peti possunt ac debent; quia ta-
men non omnes uno eodemq; modo Scripturam inter-
pretantur, ut constet, quomodo accepta sit & intellecta
ab Apostolis & apostolicis viris, quærenda quoque est
veritas in Ecclesia e. g. licet firmissimè è Scriptura pro-
bari possit veritas hujus dogmatis, quod Christus sit ve-
rus DEUS: tamen, ut constet semper & ab initio Ecclesiae
illud esse creditum & ad salutem necessarium judica-
tum,

tum, cujus gratia etiam tot homines martyrium passi sunt; id Ecclesiae acceptum ferendum, quae merito firmamentum Veritatis appellatur.

1. Cor. III, 12

1. Reg. XIX,
14, 18.

IV. De universali Ecclesia quoque sermo est, quando in Symbolo Apostolico dicimus, NOS CREDERE ECCLESIAM h. e. extare coetum fidelium semperque extitutum, qui articulos fidei & fundamentum Salutis, sine quo Ecclesia esse non potest, retineat. Fieri quidem potest, ut Ecclesia etiam universalis in rebus, aut ad fidem plane non pertinentibus aut fidei fundamentum non concernentibus errer, seu *super fundamentum fidei superstruat ligna, fenum, stipulam* ut Apostolus loquitur, h. e. naevos & errores rerum fundamentum Salutis non concernentium: Fieri & hoc potest, ut particulares omnes & universa visibilis ita affligatur, ut amissa externae gloria & amplitudine, quae sit, aut ubi sit, non appareat, sicut contigit tempore Eliae, qui putabat, *se solum relictum esse, qui Dei fœdus non dereliquerit*, quamvis ipse DEUS fateatur, *septem millia hominum extare, qui non curvassent genua sua Baali*. Hoc vero plane fieri nequit, ut tota in fundamenta fidei impingat, seu, quod idem est, fidem vel omnem vel partem ejus amittat. Idque oritur à peculiari providentia divina seu cura, quam circa Ecclesiam habet Deus Optimus Maximus, & adstantia Spiritus S. qui non patitur, ut vera fides in Ecclesia penitus extinguatur; quod luculenter constat ex promissionibus Christi, quas proponit Scriptura. Ioh. XIV. 16. *Ego rogabo Patrem & alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum: nempe Spiritum illum Veritatis, quem mundus non potest recipere*. Math. XIX. 20. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi*.

V. Neque obstat, quod quilibet fidelis & quilibet Ecclesiae Doctor, imo qualibet Ecclesia particularis etiam
in fide

in fide errare possit. Non enim quod de singulis seorsim dicitur, id statim potest dici de tota communione. Adest quippe Spiritus S. gratia sua ita Ecclesiae, ut non possint errare in fide omnes simul sumti, quamvis possit hic vel ille; seu quod idem est, Spiritus S. adest suae Ecclesiae sua gratia eamq; ita regit, ut non possit errare tota in fundamento fidei, quamvis errare possit haec vel illa.

VI. Vocatur aliàs Ecclesia DOMUS DEI, ut cum ^{1. Tim. III, 14.} Paulus ait: *Hac tibi scribo, sperans fore, ut veniam ad Te cito. Quod si tardius venero, ut noris, quomodo oporteat cu omni Oes versari, qua est Ecclesia Dei viventis.* Et quidem ideo dicitur Ecclesia domus Dei, quia Deus ibi suum habet domicilium, unde Sancti in Ecclesia dicuntur templa Dei. Sic Paulus: *An nescitis, quod templum Dei estis & τὸ πνεῦμα τῷ Θεῷ Spiritus Dei habitat in vobis.* II. CORPUS CHRISTI Sic ait Apostolus: *Omnia subiecit (Deus) ejus (Christi) pedibus, unumq; constituit caput super omnia Ecclesiae, qua est corpus ipsius.* Et Col. 1, 17. *Ipse h. e. Christus est ante omnia & omnia per eum consistunt, estq; caput corporis Ecclesiae.* Ideo autem Ecclesia dicitur corpus Christi (1) quia, sicut à capite ad corpus Spiritus animales; ita à Christo tanquam capite gratia Spiritus ad corpus ejus seu membra derivatur. (2) quia ut caput corpori praest; ita etiam Christus ipsi Ecclesiae. III. REGNUM COELORUM. Et quidem Regnum appellatur id eo, quod Ecclesiae Christus Rex noster cum summa potestate praesidet; Regnum vero coelorum; quod, ipso Christo docente, *Regnum hoc non est ex hoc mundo.* Deniq; ^{Matt. XIII. 24, 47, XX. 1, XXI. 2, XXV. 1, Ioh. XVIII. 36.} IV. vocatur quandoq; SYNAGOGA, item ἐκκλησία. A vero igitur abit Bellarminus, quando I. III. de Ecclesia militante c. 1. scribit: *Populus N. T. nusquam dicitur Synagoga, sed semper Ecclesia.* ^{Iac. II. v. 2, Ebr. X. 25.}

VII. De hac qq. Ecclesia Symbolum Nicenum vel
A 3 potius

Ep. LXXXVI
ad Casula-
num.

potius Constantinopolitanum (quod Nicæno uti est po-
sterius, ita & auctius) affirmat, quod sit VNA, SANCTA, CA-
THOLICA & APOSTOLICA. Et quidem I. VNA dicitur, non
quod iidem ritus eademq; ceremoniæ omnibus in locis
necessariò servandæ: diversitas enim rituum unitati eccle-
siæ non officit, quod non fugiebat D. Ambrosium, qui, ut,
est apud Augustinum, consultus aliquando ab Augustini
matre per filium, utrum juxta suæ civitatis morem Sab-
bato jejunare, an vero Ecclesiæ Mediolanensis, in qua
tum degebat, consuetudinem sequi, cibumq; capere debe-
ret, respondit: *Quid possum hinc docere amplius, quàm ipse fa-
cio? Quando hic sum non jejuno Sabbato, quando Roma sum je-
juno Sabbato: & ad quamcunq; Ecclesiam veneritis, ejus morem
servate, si pati scandalum non vultis aut facere.* Neque ideò;
ac si in omnibus debeat esse consensus: in quibusdam e-
nim, salva Ecclesiæ unitate, dissentire licet. Verum ideò
dicitur una i. quia unus Spiritus, à quo animantur & re-
guntur omnia vera veræ Ecclesiæ membra. 2. quia ad u-
num eundemq; finem tendunt fideles, videlicet ad vitam
æternam. 3. quia unus Dominus Salvator & Redemptor Ie-
sus Christus, quem omnes fideles laudant & agnoscunt
pro Dei filio ac Domino suo, qui & eos sanguine mer-
catus est. 4. quia una omnium est fides, unus idemque
modus perveniendi ad vitam æternam. 5. quia unum ba-
ptisma, quo lavantur omnes. Deniq; 6. quia unus idem-
que Deus & Pater omnium est, qui ad Ecclesiam vocat &
à fidelibus colitur. Has rationes nobis suppeditat ipse
Apostolus Paulus, qui cum dixisset in epistola ad Ephesios,
c. iv. 4. 5. 6. *Ecclesiam esse unum corpus, statim subjungit: & unus Spiritus,
quemadmodum & vocati estis in una spe vocationis vestrae. V-
nus Dominus, una fides, unum baptisma. Unus Deus & Pater o-
mnium, qui est super omnia & per omnia & in omnibus vobis.*

IIX. Non

VIII. Non itaque quævis sententiarum divortia
Ecclesiæ unitatem dirimunt. Quod ut intelligatur, do-
gmata, quæ de fide, ab illis, quæ circa fidem enascun-
tur quæstionibus, accuratè discernenda sunt. DE FIDE
SVNT, quæ ad salutem ita creditu necessaria, ut absque
eorum notitia nemo salute æterna potiri queat: qualia
sunt articuli fidei propriè ita dicti, quorum summam in
Apostolico Symbolo deprehendere licet. CIRCA FIDEM
verò SVNT, quæ fundamentum salutis non concernunt,
vel quibus affirmatis vel negatis fundamentum fidei ad-
huc salvum manet. Sic utrum justitia originalis, cujus
defectum dicit peccatum originis, fuerit donum naturale
an supernaturale, id ad fidem non pertinet, quamvis de
fide sit, omnes Adami posteros communi lege natos ju-
stitiâ originali carere & proptereâ naturâ filios iræ æter-
næque damnationis reos esse. Ut unitas Ecclesiæ salva
maneat, sufficit consensus quoad dogmata fidei funda-
mentum salutis concernentia, neque requiritur ut, in cœ-
teris fidei adnatis quæstionibus omnes idem sentiant. Be-
ne Augustinus: *Non quorumlibet, ait, disputationes, quamvis ep. cxi.*
catholicorum & laudatorum hominum velut Scripturas Canoni-
cas habere debemus, ut nobis non liceat salva honorificentia, quæ
illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare atq;
respuere, si fortè invenerimus, quod aliter senserint, quam veri-
tas habet, divino adjutorio vel ab alijs intellecta vel à nobis. Ta-
lis, inquit, ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellecto-
res meorum. Hisce prorsus gemina sunt, quæ in epistola
proximè sequente ad Paulinam scribit: *Si, inquit, (aliquid)*
divinarum scripturarum, earum scilicet, quæ canonice in Eccle-
sia appellantur, perspicuâ firmatur auctoritate, sine ulla dubita-
zione credendum est. Alijs verò testibus vel testimonijs, quibus
aliquid credendum esse suadetur tibi credere vel non credere
liceat.

liceat, quantum ea momenti ad faciendam fidem habere vel non habere perpenderit. Omnes certè Ecclesiæ Doctores in Cypriano, quod imitentur, habent, qui, ut rursus ait Augustinus, in eo ipso, quo aliter sapuit (sentiebat autem ab hæreticis baptizatos iterum esse baptizandos) collegas diversa sentientes nec judicandos nec à jure communio- nis amovendos esse decrevit. — Et illum quasi navum sui candi- dissimi pectoris cooperuit ubere charitatis, dum unitatem Eccle- siae toto orbe crescentis & copiosissimè defendit & perseverantif- simè retinuit vinculum pacis. Idem Augustinus: Dominus tanto viro errorem (hunc) propterea non aperuit, ut ejus pla- & humilitas & caritas in custodienda salubriter ecclesiæ pace patefceret, & non solum illius temporis Christianis, sed etiam po- steris ad medicinalem notitiam signaretur. Cum enim, ait porro, tanti meriti, tantæ Ecclesiæ, tanti pectoris, tanti oris tantæ vir- tutis Episcopus aliud de Baptismo arbitraretur, quàm erat inqui- sita diligentius veritas firmatura, multique ejus collega, quamvis liquido nondum manifestatum, id tamen tenerent, quod & præterita Ecclesiæ consuetudo & postea totus catholicus orbis amplexus est: non se ille tamen à cæteris diversa sentientibus separata commu- nione disjunct, & hoc etiam cæteris persuadere non destitit, ut sufferrent invicem in dilectione, studentes servare unitatem Spiritus in vinculo pacis. Hactenus Augustinus. Hoc si passim observaretur, & unus alterum in rebus fidei fundamentum non attingentibus dissentientem comiter tolerare posset, optimè cum Ecclesia ageretur.

Ep. XLVIII.

l. i. de Ba-
 ptismo
 contra Do-
 nat. c. XVIII

Ebr. XII. 14.

Matth. XIII
 II. 8 & 34 & c.
 XXII. 10.

Tit. III. 5. 6.

IX. Dicitur II. quod sit SANCTA, non quidem ideò, ac si in ea omnes sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum, fecerentur; quando quidem in Ecclesia boni semper mixti malis, id quod aliquot parabolis Christus ipse docuit: sed quia I. in ea nobis donatur Spiritus Sanctus per Bapti- smum, unde dicitur Baptismus lavacrum regenerationis ac
 renova-

renovationis Spiritus S. qui copiose effunditur super nos per Ie-
sum Christum Salvatorem nostrum. 2. quia in ea Verbum Dei
sanctum docetur, per quod & homines sanctificantur &
ad sanctitatem erudiuntur. Hinc Christus ipse orat. Ioh.
xvii. 17. Sanctifica eos per Veritatem tuam: ὁ λόγος ὁ σὸς, ἀλή-
θια ἴσα. Sermo tuus Veritas est. 3. quia in Ecclesia semper
sancti reperiuntur. Et ob has rationes Scriptura fideles
vocat GENTEM SANCTAM, item SANCTOS ET SANCTIFICA-
TOS. Sic legitur I. Cor. 1. 2. Ecclesia Dei, qua est Corinthi ἡ-
γιασμένοις SANCTIFICATIS per Christum Iesum, ἁλητοῖς ἁ-
γίοις VOCATIS SANCTIS. I. Pet. II. 9. Vos autem estis genus
electum, regale sacerdotium, GENS SANCTA.

X. Sancti autem in Ecclesia licet peccatum non faci-
ant h. e. dedita operâ non peccent: ab omni tamen pecca-
to non sunt immunes. Si enim, inquit Apostolus, dix-
imus, peccatum non habemus, nos ipsos fallimus & veritas in
nobis non est. Præterea si, jubente Christo, & Sancti opus
habent dicere: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos di-
mittimus debitoribus nostris; fieri non potest, quin & pecca-
tum habeant. Hinc Augustinus, Cui hæc verba (videlicet
dimitte nobis debita &c.) in oratione necessaria non fuerint,
ipse hic sine peccato vivere pronuntiandus est. Quales si ali-
quos futuros Dominus prævideret, meliores utiq; quam ejus ex-
titerant Apostoli, aliam Orationem illos doceret, quâ non pete-
rent, sibi dimitti peccata, quibus in Baptismo omnia fuerant di-
missa. Idem, postquam errorem recitasset Pelagianorum,
qui docebant, vitam justorum in hoc seculo nullum omninò ha-
bere peccatum, & ex his Ecclesiam Christi in hac mortalitate
perfici, ut sit omninò sine macula & ruga, subjungit: Quasi
non sit Christi Ecclesia, qua in toto terrarum orbe clamat ad
Deum, Dimitte nobis debita nostra.

XI. Dicitur III. CATHOLICA, non eo sensu, quo Pon-
tificij

B

tiſicij nomen hoc accipiunt, qui, ut notum eſt, Eccleſiam ſolum nominant Catholicam, quæ Pontifici Romano adhæret, ejuſq; placita approbat: ſed ideò Eccleſia dicitur Catholica 1. quia, ubicunq; fuerit, ſeu omnibus in locis eandem fidei doctrinam profiteatur. 2. quia non uni certo loco eſt alligata, ſed per totum terrarum orbem diſfuſa. Sicut enim Chriſtus cœlum conſcenuſurus Apoſtoliſ ſuis in mandatis dedit, ut *euntes in univerſum mundum omnes gentes docerent*: ſic & huic mandato ſeſe conformantes Chriſti doctrinam longè lateq; diſſeminârunt, unde & ipſe Chriſtus dicit Matth. 11x. 2 *Multi ab Oriente & Occidente venturi ſunt, & accumbent, cum Abraham & Isaac & Iacob in regno cœlorum.* Quibus verbis innuit non tantùm in Occidente, ſed & in Oriente ſe habere Eccleſiam, è qua venturi ſunt in regno cœlorum cum Abraham, Isaac & Iacob accubituri. Fruſtra ergò ſunt & maximopere errant, qui ſibi perſuaſum habent, Eccleſiam ad eò anguſtis limitibus eſſe circumſeptam, ut non excedat limites Eccleſiæ Occidentaliſ vel Romanæ. Abſit, inquam, Romanam vel occidentalem tantùm eſſe veram Eccleſiam inq; ea ſolùm Chriſtianos reperiri. Eſt quoque in Oriente Chriſti Eccleſia, quæ longè major eâ, quæ eſt in Occidente. Unuſquiſq; enim Patriarcharũ in Orientali Eccleſia, videlicet Conſtantinopolitanuſ, Alexandrinuſ, Antiochenuſ & Hieroſolymitanuſ ſibi adhuc permultos habet ſubditos Chriſtianos.

XII. Tandem IV dicitur APOſTOLICA 1. quia ab Apoſtoliſ poſt Chriſtum condita. 2. quia Apoſtolorum doctrinam, ubicunq; fuerit, ſequitur. Hinc Apoſtoluſ ad Ephelioſ: *Et adificati eſtiſ ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, & ipſe factuſ eſt caput anguli adificij, nempe Jeſuſ Chriſtuſ.*

XIII. Ccc

XIII. Coeterum Ecclesia RATIONE DIVERSI STATUS & conditionis dividitur in MILITANTEM & TRIUMPHANTEM. *Militans* vocatur, quæ & varijs calamitatibus subjecta est, ac cum mundo, qui totus in malo positus, cum carne & sanguine h. e. cum pravis concupiscentijs, quæ etiam post baptismum in renatis reliquæ manent; & cum mundi dominis perpetuò luctari necesse habet. Rationem hujus appellationis suppeditat Apostolus Paulus, quando ait: *Non est nobis lucta adversus sanguinem & carnem, sed adversus Principatus, adversus potestates, adversus mundi dominos, rectores tenebrarum seculi hujus, adversus spirituales astutias in cœlestibus.* Hinc Scriptura CHRISTIANOS alibi MILITES vocat 2. Tim. 11. 3. *Triumphans* vero, quæ Militanti opponitur, dicitur coetus Electorum, qui omnibus adversis erepti nunc cum Christo capite suo in cœlesti gloria & æterna felicitate vitam agunt, de hostibus per Christum devictis perpetuo triumphantes. De hac loqui videtur Paulus, quando verba facit de *gloriosa ecclesia non habente maculam aut rugam aut quicquam hujusmodi, sed sancta & inculpata.* Non tamen militans & triumphans sunt duæ ecclesiæ diversæ, sed ejusdem Ecclesiæ partes, quarum una jam præcessit & ad cœlestem patriam pervenit, altera subinde sequitur, donec tandem in extremo die universa eò perveniat, & rapiatur in occursum Domini in aëra & ita semper cum Domino sit, sicut Paulus affirmat. Vtrum vero ad triumphantem an ad militantem illam Ecclesiam h. e. coetum illorum fidelium, qui nec in terris nec in cœlo, sed in purgatorio detineatur & pœnis infernalibus tam sensûs quàm damni crucietur & expietur, Pontificij referre malint, ipsi dispiciant.

1. Ioh. 7. 19.

Eph. VI. 12.

Eph. V. 27.

II. Thess. IV. 17.

XIV. Rursus cum Ecclesia militans dupliciter considerari possit I. RATIONE INTERNAE FIDEI, per quam vere cre-



nè credentes Christo capiti suo inseruntur & corpori ejus mystico h. e. Ecclesiae tamquam vera ac viva membra agglutinantur. 2. RATIONE EXTERNAE PROFESSIGNIS EIDEM, quomodo ejusdem Ecclesiae membra dicuntur omnes, qui eandem fidem profitentur, & idem Dei Verbum vel docent vel audiunt, iisdemq; utuntur Sacramentis; inde fit ut distinguatur in VISIBILEM ET INVISIBILEM, cum uno respectu considerata & sub sensu cadat ac videri possit, alio autem respectu considerata nec à nobis videri nequaenam ejus vera membra sint, certò dignosci queat. Dicitur a. ECCLESIA INVISIBILIS coetus verè credentium, qui Christo capiti suo per fidem non mortuam sed vivam adherent & proinde etiam finem fidei, salutem animarū, consequuntur. Hæc Ecclesia non oculis hominum, sed soli Deo cordium scrutatori, cognita. Ejus membra autem sunt omnes & soli credentes sive electi, qui vera fide Christo capiti suo conjuncti sunt. ECCLESIA VISIBILIS verò dicitur coetus fidelium h. e. eorum, qui fidem Christianam profitentur, sive revera credant sive se credere simulent, sive coetus docentium ac discipulorum verbum Dei ac utentium Sacramentis.

XV. Ecclesiae hujus visibilis membra sunt omnes sine discrimine gentis, sexus, ætatis & conditionis homines, quamprimum fideles audire incipiunt, lavacrum regenerationis suscipiunt & fidem profitentur Christianam sive sint verè credentes, sive hypocritæ, sive vere pii fuerint, sive *formam pietatis tantum habuerint, vim ejus interim abnegantes*. I. Tim. III. 5, Sunt quidem tales hypocritæ non vera sed putrida Ecclesiae membra; quamdiu tamen sacramentis ceteris communia habent, eandemq; fidem profitentur, pro membris Ecclesiae habentur.

XVI. Non itaq; Ecclesiae pars sunt I. ETHNICI SEU PAGANI,

ERAGANT, qui, cum obscuratum intellectum habeant, Numinis divini instar non tantum Solem, Lunam, coeterasque stellas, ligna & lapides, sed etiam ipsum quandoque Diabolum adorant. De Calecutensibus in Oriente constat, quod licet Deum agnoscant mundi conditorem, tamen quocurræ expers mundanae suavius vitam ageret, credunt, vicarium orbi regundo praefecisse Dæmonem, cuius & simulacrum horribile habent, cui & sacra faciunt. Sic constat de Iaponijs, quod Dæmoni fana exstruant luculenta, quod eorum Reges in praelium ituri magnam illi voveant pecuniae copiam, quod à plebeijs quoque in periculo constitutis, quo eo liberentur, suppliciter soleat invocari. Sic Mexicani in India occidentali, quibus nulla alterius vitae est sollicitudo pro bonis temporalibus Dæmoni suppliciant, ne noceat. Tapujarum gens, licet bonum malumque numen agnoscat, bonum tamen, quia sponte faciat bene & neminem affligat, nullo prosequitur cultu: malum contra veneratur & invocatur, cum iracundum sit & cultum sui negligentes perdat: Nec vel iter instituunt, vel adversus hostem tendunt, nisi malo hoc Numine, quod Dæmonem dicimus, certis prius ritibus consulto. **II. IVDAEI**, qui quamvis Oracula seu Scripturas divinas V. T. recipiant, eam tamen partem, quae N. est T., prorsus repudiant & Messiam ac Redemptorem Mundi adhuc venturum expectant, sinceritatem religionis fabulis & ineptijs innumeris adulterantes. **III. MAHVMEANI**, quorum doctrina absurda, imò barbarica quaedam Superstitio potius est, quam Religio. Quamvis enim Scripturas V. & N. T. admittant, id tamen ideò faciunt, ut ijs Alcoranum seu legem Muhammedis sui, quam eum à Deo per angelum Gabrielem edictum esse ajunt, non tantum exæquent, sed longè etiam praepōnant, & ex illis olim doctrinam Salutis descendam

Vid. Voss.
l. i. de Th.
gentilium
c. viii. & in
addendis
ad h. l.

fuisse, nunc autem ex Alcorano petendam esse dicuntur.
Hujus rei hanc afferunt rationem, quod cum libri V. T. à
Judæis, N. autem à Christianis falsati & depravati essent,
Muhammedo Alcoranus ille divinitus revelatus sit, quo
depravationes illæ omnes tollerentur & vera lectio resti-
tueretur. Symbolum horum, ut habet Schindlerus in
Lexico Pentaglotto, hoc est, NON EST DEVS NISI DEVS ILLE,
MVHAMED NVNCIVS (Apostolus) DEI ILLIVS. *Hoc coguntur,*
inquit, erecto manus pollice recitare, cum non dies sed annos
octo demum nati & sermonis periti ipsorum pueri circumcidun-
tur; & puella, sed à circumcissione libera: Ad hoc initio gentes
quoq; cogebantur gladio: hoc morientes pronunciant: Pracones
ante Orationem in templis suis hoc proclamant; hoc in funeri-
bus Sacerdotes illa comitantes identidem concinnunt. Hi o-
mnnes uno nomine dicuntur INFIDELES.

XVII. IV. HAERETICI seu, qui fovent hæresin. Est verò
HAERESIS, ut rudi Minerva dicamus, NIHIL ALIUD, QUAM
OPINIO ERRONEA (ejus, qui admittit Scripturam sacram,) DE
FIDE, SEV, EIVSMODI OPINIO ERRONEA, QVAE FIDEI NOSTRAE
FVNDAMENTVM EVERTIT AVT DESTRVIT. Requiritur ergò ad
hoc ut aliquid dicatur Hæresis I. VT SIT ERROR SEV ERRONEA
OPINIO. Non autem statim omnis error facit hæresin. Sicuti ex
eo, quod aliquid habitus dicitur, non statim colligi potest,
esse virtutem, cum & vitium sit habitus: sic quoque ex eo,
quod aliquid error dicitur, inferri non potest, quod sit
hæresis. Sic v. g. sæpius error committitur ab interpre-
tibus Scripturæ seu ijs, qui sacras tractant literas, dum vi-
delicet verum sensum Scripturæ non adsequuntur, aut in
loco aut circa personas errant, qui tamen errores hære-
seos nomine notandi non veniunt. Sic error est, quod
Græci negant Spiritum S. à Filio procedere, cum tamen
non minus Filij quàm Patris Spiritus dicatur, nec minus à
Filio,

Filio, quàm à Patre mitti dicatur; hæresis tamen non est. Procul dubio non levis error est, quod Pontificij medium inter vitam æternam & infernum locum ponunt, quem Purgatorium appellant, interim tamen non hæresis est. Recte ergò dicit S. Augustinus præfat. in librum de hæresibus ad Quod-vult Deum Ecclesiæ Carthaginensis Diaconum: *Non omnis error hæresis est, quamvis omnis hæresis, quæ in vitio ponitur, nisi errore aliquo, hæresis esse non possit.* Requiritur 2. VT CVM FIDE PUGNET, SEV FVNDAMENTVM FIDEI EVERTAT, VEL QVOD IDEM EST, VNVM VEL ALTERVM FIDEI ARTICVLVM DESTRVAT. Vocantur autem articuli fidei, de quibus paulo post uberius, partes fidei v. g. unum esse Deum in personis trinum, Christum esse verum Deum & verum hominem. Errores, hosce & similes articulos fidei evertentes, Hæreses dicuntur.

XIIX. Fieri autem potest dupliciter, ut error aliquis cum fide pugnet seu fidei fundamentum evertat. 1. DIRECTE ET FORMALITER. 2. INDIRECTE. Priori modo error pugnans cum fide est sententia è diametro & formaliter articulo fidei opposita. Sic fidei articulus est, Deum esse in personis trinum: Sententia igitur, quæ dicit, tria tantùm esse nomina & unam tantùm personam, hæresis est. Fidei articulus est, Christum esse verum Deum Patri consubstantialē: ista igitur sententia, quæ hoc negat, hæresis est. Fidei articulus est, Christum esse verum Deum: hæresis ergò est sententia, quæ id negat. Sic fidei articulus est, Christum verè esse passum & mortuum: Hæresis ergò est eorum sententia, qui tantum apparenter, non revera Christum passum esse asseverabant. Posteriori modo & per bonam consequentiam error pugnans cum fide est, quando non quidem ponitur aut statuitur, quod formaliter articulum fidei evertit, destruit aut negat; interim
tamen

tamen aliquid ponitur, quo posito, sequitur everio vel negatio alicujus fidei articuli. Hoc rursus fieri potest dupliciter 1. sic, ut per pronam & apertam consequentiam fidei articulus destruat. 2. ut per consequentias quidem legitimas, sed non omnibus pronas & obvias fidei articulus evertatur. Dico ergo ad hoc, ut aliqua opinio errorum cum fide pugnans dicatur, requiri, ut aut formaliter & directè pugnet cum fide Christiana, aut per pronam & cuivis obviam consequentiam everio articuli fundamentalis sequatur. Quæ proinde sententia erronea ita comparata non est, hæreseos nomine indigitanda non erit. Superiori seculo extitit Flacius, homo licet doctus quoad sacras literas, interim tamen Philosophiæ imperitus & valde turbulentus. Is docuit, ceu omnibus constat, Peccatum originis esse ipsam hominis Substantiam; cum Scriptura verbis substantialibus in descriptione peccati illius utatur, & modò carnem & sanguinem, modò veterem hominem appellet. Ex hac sententia certè sequitur, Deum aut non humanæ naturæ conditorem esse, aut esse mali autorem: Christum aut nostram naturam non assumpsisse, aut assumpsisse naturam peccati labe contaminatam; quæ omnia sanè nostræ fidei è diametro adversantur. Quia tamen ipse non vidit talia ex erroneo suo dogmate sequi, negavitq; consequentiam, igitur error ipsius hæresis dici non debet.

XIX. Ex hisce dictis non difficile est judicare, quinam propriè Hæreticus dici mereatur. Non videlicet omnis, qui Scripturam sacram admittit & circa aliquod in illa comprehensum errat: sed qui errat in fundamento fidei seu fovet sententiam unum vel alterum dogma fidei evertentem. Sic Manichæi, asserentes duo dari rerum principia, sunt hæretici; quia illorum dogma destruit nostræ fidei fundamentum de unitate Dei. Sic Sabelliani qui confundunt

fundunt personas divinas, sunt hæretici, quia illorum dogma destruit fidei articulum de Trinitate personarum. Pariter Pauliani seu Samo sateniani, Ariani & Sociniani negantes divinitatem Christi, hæreticorum nomen effugere non poterunt.

XX. Quicumq; igitur fidei fundamenta integra retinent, licet alias errent, illos hæreticos appellare nolumus. Græcos sanè propterea, quia processionem Spiritus S. à Filio inficiantur, hæreticos appellare non audemus. Ad eundem modum quamvis dogma Flacij erroneum sit & maximè absurdum, ipsum tamen in numero hæreticorum haut habemus. Idem sentimus de alijs integra fundamenta fidei nobiscum communia habentibus, quamvis in uno vel altero à nobis dissentiant & in rebus præsertim abstrusioribus hallucinentur. Facit nobiscum B. D. Hütterus. *Statuimus, inquit, ipsi, non quemvis statim errorem, facere hæreticum, & fundamentum fidei evertere: sed eum tantum, qui directè in articulum aliquem fidei impingit: & pertinaciter defenditur. Directè autem dicitur error impingere in fundamentum fidei 1. quando non in circumstantiam saltem aliquam, sed in ipsam substantiam articuli fidei: 2. quando non reductivè per consequentias: sed πρῶτως, immediatè, & verbis, & sensu in articulum fidei & salutis impingit. Exempli gratia: Error in fundamento est, quando Valentinus Gentilis, qui Berna supplicio affectus, contendit: Tres esse Spiritus aternos, essentiali numero differentes. Quia Scriptura disertè protestatur, unum esse numero & essentia Deum. Ergo error iste directè impingit in articulum fidei de unitate essentia divina. Sic error in fundamento est, quando Arius docet: Christum non esse verum Deum, Patri ὁμοούσιον, & directè negativa hæc impingit in Scripturam, æternam Divinitatem Filij asserentem. Hæc B. Hütterus.*

In suo Ire-
nico c. xiii.

XXI. V. SCHISMATICI h. e. qui doctrinam quidem
C fidei

de hæres.
cap. LXXIX.

ep. LXII.

fidei sanam & incorruptam servant, interim tamen ex alia
causa à communione Ecclesiæ se separant. Tales erant
olim *Donatiani* vel *Donatista*, qui, ut ait Augustinus, *primum*
propter Cacilianum contra suam voluntatem ordinatum Eccle-
sia Carthaginensis Episcopum schisma fecerunt obijcientes ei
crimina non probata: & maximè quod à traditoribus divina-
rum Scripturarum fuerit ordinatus. Vocantur autem Tra-
ditores, qui persecutionis tempore Ethnicis jubentibus
divinas Scripturas exusserant vel comburendas tradide-
rant. Distinguuntur tales à Sacrificatis & Libellaticis. Qui
enim metu amittendæ vitæ vel facultatum terrenarum
Christum abnegaverant diisque gentilium sacrificaverant,
dicebantur Sacrificati. Qui verò Magistratum acceden-
tes quidem profitebantur, se esse Christianos, & propterea
sibi non licere Christum abjurare & idolis sacrificare, inte-
rim tamè numeratâ certa pecuniæ sumâ obtinebant, ut no-
men ipsorum libello Apostatarum infereretur & palam in-
ter illos recitaretur, quamvis neq; Christum abjurarent,
neque idolis sacrificarent, vocabantur Libellatici. Lu-
bet hic apponere quæ ea de re leguntur apud Cypria-
num. *Cum*, ait, *inter ipsos qui sacrificarint, multa sit diversi-*
tas, quæ inclementia est, & quam acerba duritia, libellaticos
cum ijs, qui sacrificaverint, jungere? quando is, cui libellus acce-
ptus est, dicat: Ego prius legeram & Episcopo tractante cogno-
veram, non sacrificandum idolis, nec simulacra servum Dei a-
dorare debere; & iccirco ne hoc facerem, quod non licebat (cum
occasio libelli fuisset oblata, quem nec ipsum acciperem, nisi osten-
sa fuisset occasio) ad magistratum vel veni, vel alio eunte man-
davi: Christianum me esse, sacrificare mihi non licere, ad aras
diaboli me venire non posse, dare me ob hoc premium, ne, quod
non licet, faciam.

XXII. VI. Excommunicati. h. e. qui ob hæresin aut
alia

alia atrociora peccata Ecclesia abdicantur & Satanæ traduntur, donec resipiscant. Sic incestuosus ille excommunicabatur h. e. Satanæ traditus Ecclesiastica communione privabatur. Pariter Hymenæus & Alexander à corpore Ecclesiæ separabantur. De illis enim ipse scribit Apostolus : *Ex quibus, qui expulsâ bonâ conscientia naufragium fidei fecerunt, est Hymenæus & Alexander, quos tradidi Satanæ, ut castigati discerent non blasphemare.* Et hæc Excommunicatio, quæ traditionem Satanæ & à corpore Ecclesiæ separationem importat, potest dici Major. Obtinebat tamen in veteri Ecclesia præter eam, quam modò majorem diximus, alia, quæ Minor appellari potest. Et hæc non importabat projectionem ex Ecclesia, sed tantum exclusionem à Sacramenti perceptione, Sic qui civium per tres Dominicas Ecclesiam non accesserat, pauco tempore abstinere cogebatur. Sic qui bello interfuerant, ad triennium abstinere necesse habebant. Tantum de ijs, qui quamdiu tales sunt, cum Ecclesia communionem non habent, nec pars ejus censerì possunt.

XXIIj. Cæterum Ecclesiæ Symbola maximè illustria quatuor numerantur, quorum Primum Apostolicum, Alterum Nicenum, Tertium Constantinopolitanum, Quartum verò Athanasianum vocatur. Et quidem quod Symbolum apostolicum concernit, illud ab ipsis Apostolis esse conditum veteres magno consensu tradunt. *Tradunt, inquit Ruffinus Aquilejensis Presbyter, majores nostri, quod post ascensionem Domini, cum per adventum Sancti Spiritus super singulos quosq; Apostolos ignea lingua sedissent, ut loquelis adversis variisq; loquerentur, per quod eis nullagens exterâ, nulla lingua barbaries inaccessa videretur & invia; præceptum eis à Domino datum, ob predicandum Dei verbum, ad singulas quemq; proficisci nationes. Discesuri itaq; ab invicem,*

1. Cor. v, 1.

1. Tim. i, ult.

Expos. in Symb. Apostolorum.

Serm.
CLXXXI.

Serm. CXY.

normam prius futurae predicationis in commune constituunt: ne forte alius ab alio abducti, diversum aliquid his, qui ad fidem Christi invitabantur, exponerent. Omnes ergo in uno positi, & Spiritu S. repleti, breve istud futura sibi, ut diximus, predicationis iudicium, conferendo in unum, quod sentiebat unusquisq;, componunt, atque hanc credentibus dandam esse regulam, statuunt. Autor sermonum de tempore, qui Augustino adscribi solent, Sancti, ait, Apostoli certam Regulam fidei tradiderunt, quam secundum numerum apostolicum duodecim sententiis comprehensam, Symbolum vocaverunt, per quam credentes catholicam tenerent unitatem, & per quam hereticam convincerent pravitatem. Symbolum ergo tali ratione institutum majores nostri dixerunt. Tradunt enim, quod post ascensionem Domini & Salvatoris nostri ad Patrem, cum per adventum Spiritus S. discipuli ejus inflammati linguis omnium loquerentur, ad singulas quasque nationes, ut Dei verbum predicarent, ituri ac discessuri ab invicem, normam prius sibi futurae predicationis in commune statuerunt, ne localiter ab invicem discedentes diversum vel dissonum predicarent his, qui ad fidem Christi invitabantur. Omnes igitur in uno positi & Spiritu Sancto repleti breve suae predicationis iudicium conferendo in unum, quod sentiebat unusquisq;, computabat, atque hanc ita credentibus dandam esse regulam instituerunt. Idem Articulos secundum Apostolorum numerum digeri, & quid à quolibet collatum, his exponit verbis: Petrus dixit, Credo in Deum Patrem omnipotentem. Ioannes dixit, Creatorem caeli & terra. Iacobus dixit, Credo & in Iesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum. Andreas dixit, Qui conceptus est de Spiritu S. natus ex Maria Virgine. Philippus ait, Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus. Thomas ait, Descendit ad inferna, tertia die resurrexit à mortuis. Bartholomaeus dixit, Ascendit ad caelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Matthaeus dixit,
Inde

Inde venturus iudicare vivos & mortuos. Iacobus Alphaei, Credo & in Spiritum S. sanctam ecclesiam catholicam. Simon Zelotes, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum. Iudas Iacobi, Carnis Resurrectionem. Matthias complevit, Vitam aeternam, Amen. Sixtus Senensis eo usq; progreditur, ut affirmare non dubitet, omnes orthodoxos Patres affirmare, hocce Symbolum ab ipsis Apostolis esse conditum.

l. 2. Bibliothec. Sancto voce Apostolorum

XXIV. Contra non desunt, qui id in dubium vocant. Et sane si ab ipsis Apostolis Symbolum hoc confectum esset, pars canonicae Scripturae foret, & dubio procul suis scriptis id Apostoli inseruissent vel minimum indicium huius rei alicubi fecissent. Existimamus itaq; eo nomine Symbolum hoc Apostolicum appellari, quod summam doctrinae apostolicae continet, eamq; verbis Apostolorum & Evangelistarum praeter aliis exponit. *Ista verba, inquit Augustinus (loquitur autem de hoc ipso Symbolo) qua audistis per divinas Scripturas sparsa sunt, sed inde collecta & ad unum redacta, ne tardorum hominum memoria laboraret: ut omnis homo possit dicere, possit tenere, quod credit. Hanc ipsam ob causam & maximae autoritatis in Ecclesia semper fuit, adeo ut nemo adultorum seu catechumenorum ad Baptismum admissus fuerit prius, quam hoc Symbolum memoriter recitare posset. Augustinus loco modo citato appellat Regulam fidei. Autor sermonum de tempore tantum ei tribuit, ut dicat; Quicquid praefiguratum est in Patriarchis, quicquid denunciatum in Scripturis, quicquid praedictum est in Prophetis, vel de Deo ingenito, vel ex Deo in Deum nato, vel de Spiritu S., vel de suscipiendo omni Sacramento, vel de morte Domini, resurrectionisq; eius mysterio, totum breviter hoc Symbolum continet & continendo habet & confitendo.*

l. 1. de Symbolo vel Regula fidei ad Catechumenos

Serm. CLXXXV

XXV. Vnum, antequam hinc abeamus, notare volumus,

C 3

l. 1. de Symbolo



In Expos.
Synb.
Apost.

lumus, cur Fidei hæc Regula Symbolū appelletur, idq; potius Ruffini, quam nostris verbis declaramus: Symbolū hoc, inquit, multis & justissimis ex causis appellare voluerunt. Symbolum enim Græce, indicium dici potest & collatio, hoc est, quod plures in unum conferunt. Id enim fecerunt Apostoli in his sermonibus in unum conferendo, quod unusquisq; sensit. Indicium autem vel signum iccirco dicitur: quia illo tempore, sicut & Paulus Apostolus dicit & in Actis Apostolorum refertur, multi ex circumcisis Iudæis simulabant se esse Apostolos Christi, & lucri allicujus vel ventris gratia ad prædicandum proficiscebantur; nominantes quidem Christum, sed non integris traditionum lineis nunciantes. Iccirco ergo istud indicium posuere per quod agnosceretur is, qui Christum, vere secundum Apostolicas regulas prædicaret. Denique & in bellis civilibus hoc observari ferunt: quoniam & armorum habitus par & sonus vocis idem, & mos unus est, atque eadem instituta bellandi, ne qua doli subreptio fiat, symbola discreta unusquisq; dux suis militibus tradit; quæ Latine vel signa, vel indicia nominantur: ut si forte occurrerit quis, de quo dubitetur, interrogatus Symbolum, prodat si sit hostis, an socius: Iccirco deniq; hæc non scribi chartulis atque membranis, sed retineri cordibus tradiderunt, ut certum esset, neminem hæc ex lectione, quæ interdum pervenire etiam ad infideles solet, sed ex Apostolorum traditione didicisse sufficeret.

XXV. Symbolum Nicenum appellatur illud, quod à Patribus, qui Concilio Nicææ Anno cccxxv habito interfuere, conditum, & ita habet: Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, omnium visibilium & invisibilium factorem; & in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei, genitum ex Patre unigenitum, hoc est: ex substantia patris: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: genitum, non factum consubstantialem patri, per quem omnia facta sunt, & quæ in cælo sunt & quæ in terra: qui propter nos homines & pro-

5
pter nostram salutem descendit, incarnatus est, homo factus est,
passus est: resurrexit tertia die: ascendit ad caelos, venturus
est iudicare vivos & mortuos. Et in Spiritum Sanctum. Con-
fer Rufinum l. i. Histor. Eccl. c. vi. Socrat. l. Hist. Eccl. c. v.
Theodoret. l. i. Hist. eccl. c. xii.

XXVI. CONSTANTINOPOLITANVM SYMBOLVM
habet Auctores cl. Patres anno cccclxxxii. Constantino-
poli congregatos, & est tale: Credo in unum Deum, Patrem o-
mnipotentem, factorem caeli & terra, visibilem & invisibili-
um. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unige-
nitum, & ex Patre natum, ante omnia secula; Deum de Deo, lu-
men de lumine; Deum verum de Deo vero genitum, non factum,
consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui pro-
pter nos homines & propter nostram salutem descendit de caelis,
& incarnatus est de Spiritu Sancto, ex Maria virgine: & homo
factus est: crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus
& sepultus est; & resurrexit tertia die, secundum Scripturas;
& ascendit ad caelos, sedet ad dexteram Patris, & iterum ven-
turus est in gloria, iudicare vivos & mortuos: cuius regni non
erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum & vivificantem, qui
ex Patre. (Filioq;) procedit: qui cum Patre & Filio simul ad oratur
& glorificatur: qui loquutus est per Prophetas: Et unam sanctam
catholicam & apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma
in remissionem peccatorum: & expecto resurrectionem mortuo-
rum, & vitam venturi seculi, Amen.

XXVII. Ex collatione hujus cum Nicæno manife-
stum fit, in eo quaedam contineri, quæ non habentur in Ni-
cæno. Nam 1. ibi non leguntur hæc verba factorem caeli &
terra; nec. 2. natum ante omnia secula. 3. de Spiritu S. ex Maria
Virgine. 4. sedet ad dexteram Dei. 5. cuius Regni non erit
finis. 6. Dominum & vivificantem, qui ex Patre procedit:
qui cum Patre & Filio simul adoratur & glorificatur: qui loqu-

118

ius est per Prophetas. 7. Et unam sanctam catholicam & apostolicam Ecclesiam. 8. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum: & expecto resurrectionem mortuorum & vitam venturi seculi. Falluntur igitur, qui existimant Constantinopolitanum Symbolum tantum his verbis; Dominum vivificantem, qui ex Patre procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur & glorificatur; à Nicæno differre. Etenim ut res ipsa testatur, præter hæc & alia plura Constantinopolitano sunt apposita. Quando vero & à quibus Symbolo huic insertum fuerit illud FILIOQUE satis non constat. Andreas Episcopus Collofensis, ut habet Bellarminus, existimat tempore VI Synodi i. e. post annum Domini DC. hanc additionem factam esse à Romano Pontifice in Concilio ingenti Latinorum Patrum propter dissensiones quasdam exortas in Gallia & Hispania. Sed & hoc forte non satis certum.

I. L. de Chris.
sto c. XXI.

Dissert. II.
de Symbol.
v. hanc.

XXIIX. Quartum, ut diximus, Symbolum vocatur ATHANASIANVM procul dubio, quod summam fidei Athanasij continet atque ex ejus scriptis sedulo fuit collectum. Nam utrum magnus ille Athanasius ejus Autor sit, uti forte exactè definiri haut potest, ita & nostrâ scire parum refert. Sane id in dubiū vocat Gerhardus Vossius ob rationes non contemnendas, quas qui vult, videat. Verba hujus Symboli initialia hæc sunt: *Quicumq; vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat catholicam fidem &c.* Et hæc sunt IV illa Ecclesie Symbola, quem tamen numerum ad ternarium aliqui restringunt, Nicænum & Constantinopolitanum pro uno eodemq; habentes. Addi hisce Symbolis Fidei nostræ summam continentibus possunt Anathematismi Ephesini; Confessio Chalcedonensis; Quæ Nestorianorum & Eutychianorum reliquiis Quincta & Sexta Synodi opposuerunt; Quæ item Pelagianis Africana plenaria.

ria, sive ut vocari solet, Milevitana Synodus, & Arausica-
na secunda Synodus opposuerunt. *Hæc Symbola, ait Ve-*
nerandus Dn. D. Calixtus, hæc confessiones & declarationes
continent, non modò quæ credere, sive quibus fidem & ad sensum
præbere hominem Christianum oportet, & sine quibus cognitæ
atq; creditis salvari nequit; sed illis etiam, qui hæc ipsa docendo
tractant & alijs exponunt, ὑποτίπωσιν ὑγιαίνόντων λόγων, quam
teneant, præscribunt.

In recita-
tione
Symb. &
Confess.
nuper edit.

XXIX. Ad fidem autem, quam profitentur fideles,
confirmandam & ob signandam instituta sunt N. T. Sacra-
menta, videlicet Baptismus & Eucharistia. Licet enim pro
latiore & angustiore vocis Sacramenti acceptione & plu-
ra & pauciora constitui queant Sacramenta; quam ob cau-
sam in Apologia Augustanæ Confessionis tria nominan-
tur videlicet Baptismus, Coena Domini, & Absolutio seu
Sacramentum Pœnitentiæ: In veteri tamen Ecclesia, quæ
in determinando numero Sacramentorum adeo sollicita
non fuit, semper hæc duo BAPTISMVS, & COENA DOMINI
præcipuo in loco habita fuere. EST autem BAPTISMVS actio
divinitus instituta, qua homines sine sexus aut ætatis di-
scrimine aquæ vel immerguntur vel ea abluuntur aut asper-
guntur, in nomine Patris Filij & Spiritus S., eo fine, ut rege-
nerationis gratia vel conferatur vel confirmetur.

De nume-
ro & usu
Sacram.

XXX. De Baptismi itaque essentia erit, ut vera & natu-
ralis aqua vim abluendi habens adhibeatur. Hinc quoque
disertè Apostolus Baptismum nominat *lavacrum aquæ.* I-
pse Christus expressam Aquæ mentionem facit de Bapti-
simo sermonem faciens: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &*
Spiritu, non potest ingredi regnum cælorum. Præterea non
tantum ipse Iohannes aqua baptizavit; sed & Christi Ba-
ptismus aquâ fuit peractus. Quæ omnia evincunt sine a-
qua Baptismum peragi non posse. Si quis igitur deficiente

Eph. v. 26.

Ioh. iii. 5.

Ioh. i. 33.

Matt. iii.

D

aqua

aqua alio liquore v. g. lacte, cerevisia aut aqua arte facta uteretur, baptismus uti non esset, ita nec ejus effectum produceret. Hoc interim perinde fuerit, siue frigida siue calida adhibeatur aqua, siue ea e flumine siue e fonte aut lacu fuerit petita, modo vera & naturalis aqua sit vniq; sordes corporis abluendi habeat. Si enim quis adhiberet aquam lutolam magis polluentem, quam abluentem, licet nihil reliquorum, ad Baptismum quæ spectant, prætermitteret, Baptismus tamen non foret.

Matth
XXVII, 19.

Marc. XVI.
17. 18.

XXXI. Similiter de Baptismi essentia est, ut expressa fiat mentio SS. Trinitatis videlicet Patris, Filij & Spiritus S. Ita enim Christus dicit Apostolis: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris Filij & Spiritus S.* Quæ verba Ecclesia semper ita intellexit, ut expressam trium personarum invocationem in administratione Baptismi summopere necessariam judicaverit; id quod sane insuper haberi non debet. Præterea non esset causa, ob quã ipse Christus in institutione Baptismi nominatenus omnes tres personas expresserit, nisi id à nobis strictè observari voluisset. Sicut igitur Apostoli miracula patraturi, nomen Christi exprimebant & pronuntiabant, propterea quod ipse dixerat: *In nomine meo demonia eijcient: linguis loquentur novis. — Super agrotos manus imponent & bene habebunt:* ita & Baptulum collaturi sine dubio actu nominatrium personarum expresserunt, cum Christus ad eum modum eos baptizare jussisset; quod & deinceps ipsorum posterius merito imitati. In Ecclesia occidentali seu Latina hujusmodi usurpatur formula: *Ego te baptizo in nomine Patris, Filij & Spiritus Sancti:* quã non tantum causa principalis, quæ est SS. Trinitas, sed & instrumentalis, quæ est Minister, exprimitur. In orientali autem seu Græca Ecclesia hæc uti solent: *Baptizetur servus Christi in nomine Patris, Filij & Spiritus S. cau-*

S. causa instrumentali planè prætermiffa, ne videlicet, ut quidam putant, unus eo nomine se forte præferat alteri, quod à præstantiori ministro fuerit baptizatus. Sive autem hæc quæ in Latina Ecclesia recepta est formula, sive ista Græcorum usurpetur, integritati baptismi per hoc nihil derogatur. Neque enim Servator jubet, ut dicatur in prima persona: Ego baptizo te, neque ut in tertia; Baptizetur servus. Fidem itaque apud nos non invenit Alexander III Pontifex Romanus, qui adeo necessariam Latinorum formulam judicat, ut ea non usurpata Baptismû irritum pronunciet: *Si, inquit, quis puerum ter in aqua immerferit in nomine Patris, Filij & Spiritus S. Amen, & non dixerit: Ego baptizo te in nomine Patris & Filij & Spiritus S., non est puer baptizatus.* Illud magis probatur, quod Zacharias Pontifex Romanus baptismum à quodam Sacerdote sermonis Latini imperito in nomine Patria Filia & Spiritu sancta collatum probâr itac pro legitimo duxerit: *Retulerunt, inquit in epistola ad Bonifacium Episcopum nuntij tui, quod fuerit in eadem provincia Sacerdos, qui latinam linguam penitus ignorabat, & dum baptizaret, nesciens Latini eloquij, infringens linguam diceret: Baptizo te in nomine Patria & Filia & Spiritu sancta. Ac per hoc tua reverenda fraternitas consideravit, eos rebaptizare. Sed sanctissime frater, si ille, qui baptizavit, non errorem introducens, aut hæresin, sed pro sola ignorantia Romane locutionis infringendo linguam, ut supra fati sumus, baptizans dixisset, non possumus consentire ut, denuò baptizentur.*

XXXII. Omnes autem sine discrimine sexus aut ætatis homines Baptismo opus habent. Generale enim est illud Christi præceptum: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei:* omnesque obligat, qui homines sunt & perfectè in lucem editi. Qui itaq; potius hominum monstra, quàm homines sunt, à forma

lib. 3. decreta
de Baptis-
mo & es-
jus eff.
tit. 4^{to}

quæ habentur
de consecrat. dist.
14. c. 86.

Iob. 11. 5^o

part. III.
Summæ
qu. LXIIX.
art. XI.

contra Iu-
lianum
l. VI, c. V.

humana longius abeunt & præcipue superiori in corporis parte magis bestia quam hominis formam referunt, illis Baptismus conferendus non erit. Quod si tamen infans aliquid monstri aluerit, membrumque fortè unum vel alterum redundaverit aut defecerit, retentâ interim superiori in parte corporis formâ hominis, à Baptismo propterea arcendus non erit. Vbi verò contigerit, gemellos in utero materno sibi invicem esse adnatos, seorsim unusquisque horum baptizandus erit. Quod attinet Embryones seu infantes in utero materno positos, qui quoniam nondum nati, neque ad Baptismum obligantur, neque possunt baptizari Rectè D. Thomas: *Dicendum, ait, quod de necessitate Baptismi est, quod corpus baptizandi aliquo modo aqua abluatur, cum Baptismus sit quedam ablutio: corpus autem infantis, antequam nascatur ex utero, non potest aliquo modo abluì aqua, nisi fortè dicatur, quod ablutio baptismalis, qua corpus matris lavatur, ad filium in ventre existentem perveniat. Sed hoc esse non potest: tum quia anima pueri, ad cuius sanctificationem ordinatur Baptismus, distincta est ab anima matris: tum quia corpus puerperij animati jam est formatum, & per consequens à corpore matris distinctum. Et ideò baptismus, quo mater baptizatur, non redundat in prolem, in utero matris existentem. Vnde Augustinus dicit: Si ad matris corpus id, quod in ea concipitur, pertineret, ita ut ejus pars deputaretur, non baptizaretur infans, cuius mater baptizata est aliquo mortis urgente periculo, cum eum gestaret in utero. Nunc verò cum etiam ipse baptizatur, non utique baptizatus habebitur. Non tiam ad maternum corpus, cum esset in utero, pertinebat. Hactenus Augustinus. Relinquitur ita, ait porro Thomas, quod nullo modo infantes in maternis uteris existentes baptizari possunt. Hæc ibi Thomas. In eo autem procul dubio errat, quod existimat mortis periculo impendente, etiam*

etiam ex parte tantum natum baptizandum esse. *Expe-*
ctanda, ait, est totalis egressio pueri ex utero ad Baptismum, nisi
mors immineat. Si tamen primò caput egrediatur, in quo fun-
dantur omnes sensus, debet baptizari periculo imminente &
non est postea rebaptizandus, si eum perfectè nasci contigerit:
& videtur idem faciendum, quacung; alia pars egrediatur, pe-
riculo imminente. Quia tamen in nulla exteriorum partium
integritas vitæ consistit, sicut in capite, videtur quibusdam,
quod propter dubium, quacung; parte alia corporis abluta, puer
post perfectam nativitatem sit baptizandus sub hac forma, Si
non es baptizatus, ego te baptizo. Si enim, ut ait Augustinus,
nemo renasci potest (Sacramento videlicet Baptismi) ante-
quam natus sit, ac quoad partem tantum in lucem editus
pro nondum nato habetur, renasci talis, interventu Ba-
pismi non poterit.

ep. LVII. ad
Dardanum

XXXIII. Sicut autem ex parte infantium Baptismus
hoc præstat, ut gratia remissionis peccatorum regenera-
tionis & adoptionis illis conferatur, cum id unicum sit
medium sensibile & externum, cujus interventu Deus
cum illis agat illamq; conferat; quam ob causam & po-
tissimum Baptismus *lavacrum regenerationis & renovationis*
appellatur: ita ex parte adultorum fidelium hoc præstat,
ut gratia illa jam tum collata mediante fide per verbum
excitata confirmetur & obfignetur.

Tit. III. 5.

XXXIV. In veteri Ecclesia duo præcipuè maxima
solemnia tempora huic actioni Baptismi erant consecrata,
Pascha videlicet & Pentecoste. Et quidem Pascha propter
memoriam Dominicæ passionis ac Resurrectionis, cujus
efficacia in Christo cum Baptismo ut sepelimur; ita & cum
eo ad novam vitam resurgimus: Pentecoste verò in me-
moriam effusi in Apostolos S. Spiritus, qui & super nos
effunditur, cum aqua in nomine Patris, Filij & Spiritus

D 3.

Sancti

Sancti exteriori⁹ abluimur. Extra hoc tempus nemini conferebatur Baptismus, nisi necessitas aliud diceret. Et hic rit⁹, si Catechumenos è gentilismo ad Christianismum conversos spectemus, licet minimè improbandus; ut tamen ista ista tempora hodie observentur, causa forte sufficiens non est: quin potius ob varios & improvisos hujus vitæ casus satius esse putamus, ut quamprimum fieri potuerit, nobis nati per baptismum Christo reddantur Ecclesiæq; inserantur.

XXXV. In veteri quoque Ecclesia aliquot seculis, quæ Apostolorum tempora proximè exceperunt, mersione & quidem trina peractum fuisse Baptismum, dubium non habet. Constat id ex Tertulliano, cujus eâ de re hæc sunt verba: *Aquam adituri ibidem, sed & aliquanto prius in Ecclesia sub antistitis manu contestamur, nos renunciare Diabolo & pompæ & angelis ejus. De hinc ter mergitamur, amplius non aliquid respondentes quàm dominus in Evangelio determinavit. Inde suscepti, lactis & mellis concordiam pregustramus: Exq; ea die lavacro cottidiano per totam hebdomadam abstinemus. Eucharistia sacramentum & in tempore victus, & omnibus mandatum à Domino etiam antelucanis cætibus, nec de aliorum manu quàm presidentium sumimus &c.* Fidem & hujus rei facit Ambrosius: *Interrogatus es, inquit, Credis in Deum Patrem omnipotentem? Dixisti, credo. & mersisti, hoc est, sepultus es. Iterum interrogatus es, Credis in Dominum nostrum Iesum Christum, & in crucem ejus? Dixisti, credo. & mersisti: ideo & Christo es conssepultus. Qui enim Christo conssepelitur, cum Christo resurgit. Tertio interrogatus es, Credis & in Spiritum Sanctum? Dixisti, credo. tertio mersisti, ut multiplicem lapsum superioris ætatis absolveret trina confessio.* Putabant autem veteres trina hæc mersione mysticum aliquod denotari: Hinc Augustinus, ut citat Gratianus, *Postquam vos credere pro-*

Libro de
corona
militis.

l. 2. de sacr.
cap. VII.

de confes
satione
dist. 4. C. 78

promisistis, tertio capita vestra in sacro fonte demersimus. Quæ oratio baptismatis duplici mysterij significatione celebratur. Rectè enim tertio mersi estis, qui accepistis baptismum in nomine Sanctæ Trinitatis. Rectè tertio mersi estis, qui accepistis baptismum in nomine Iesu Christi, qui die tertia resurrexit à mortuis. Illa enim tertio repetita demersio typum dominicæ exprimit sepultura: perquam Christo consepulti estis in baptismo, & cum Christo resurrexistis in fide: ut peccatis abluti in sanctitate virtutum Christum imitando, vivatis.

XXXVI. In Hispania deinceps obtinuit, ut semel l. i. ep. xlii. tantum mergerentur: quæ de re consultus Gregorius I. à Leandro Episcopo Hispalensi ad eum rescribit modum: De trina mersione baptismatis nil responderi verius potest, quàm quod ipsi sensistis, quia in una fide nihil officit sanctæ ecclesiæ consuetudo diversa. Nos autem quod tertio mergimus, triduanæ sepultura Sacramenta signamus, ut dum tertio infans è aquis educitur, resurrectio triduanæ temporis exprimat. Quod si quis fortè etiam pro summæ Trinitatis veneratione aestimet fieri, neq; ad hoc aliquid obsistit, baptizando semel in aquis mergere: quia dum in tribus personis una substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in baptismate in aquam vel ter vel semel intergere, quando & in tribus mersionibus personarum Trinitas & in una potest divinitatis singularitas designari. Hæc ille. Vtrumq; ergo licitè fieri existimavit & si hoc siue illud fieret, mysticum aliquod denotari; quod & probat D. Thomas: Vtrumq; ait, licitè fieri potest, scilicet & semel part. iii.
Sum. qu. 46
art. viii. & ter immergere; quia unica immersione significatur unitas mortis Christi & unitas Deitatis: per trinam autem immersionem significatur triduum sepultura Christi & etiam Trinitas personarum.

XXXVII. Coeterum nec tunc, quando mersio in Ecclesia obtinuit, omnes qui baptizabantur, mergebantur.

ep. LXXVI.

tur. Qui enim propter corporis infirmitatem immer-
sionem ferre non poterant, aquam in nomine Patris, Filij &
Spiritus S. in lecto aspergebantur, vel perfundebantur, quo-
rum Baptismum non minus ac mersorum probat Cypria-
nus: *Quaeristi, inquit, fili charissime, quid mihi de illis videa-
tur, qui in infirmitate & languore gratiam Dei consequuntur, an
habendi sint legitimi Christiani, eo quod aqua salvari non loti
sint, sed perfusi.* — Nos quantum concipit mediocritas nostra, exi-
stimus, in nullo mutilari & debilitari posse beneficia divina,
nec minus aliquid illic posse contingere, ubi plena & tota fide &
dantis & sumentis accipitur, quod de divinis muneribus hauri-
tur. Neque enim sic in sacramento salvari delictorum contagia,
ut in lavacro carnali & seculari sordes cutis & corporis abluun-
tur, ut a phronitris & caeteris quoque adjumentis & solio & piscina
opus sit, quibus abiui & mundari corpusculum possit. Aliter peccus
credentis abluitur, aliter mens hominis per fidei merita munda-
tur. In Sacramentis salutaribus necessitate cogente & Deo in-
dulgentiam suam largiente, totum credentibus conferunt divi-
na compendia. Et quibusdam interjectis: *Apparet, ait, asper-
sionem quoque aquae instar salutaris lavacri obtinere: & quando
haec in Ecclesia fiunt, ubi sit & dantis & accipientis fides integra,
stare omnia & consummari & perfici posse majestate Domini &
fidei veritate.* Et tantum de primo Ecclesiae N. T. Sacra-
mento videlicet Baptismo, qui cum in locum Circumci-
sionis V. T. Ecclesiae Sacramenti successit, & Circumcisio
Christi ab Apostolo vocatur.

Coll. II. II.

XXXIIX. Alterum Ecclesiae N. T. Sacramentum est
EVCHARISTIA seu COENA DOMINI. Est autem EVCHARI-
STIA actio divinitus instituta, qua cum benedicto pane
accipitur & comeditur verum & substantiale corpus Chri-
sti, & cum benedicto calice accipitur & bibitur verus ac
substantialis sanguis Christi in recordationem mortis
Christi nostraeque fidei confirmationem. XXXIX.

XXXIX. De Eucharistiæ itaq; essentia est, ut verus panis & verum vinum adhibeatur. Sicut enim sine vera & naturali aqua non potest constare Sacramentum Baptismi: sic nec sine pane & vino Sacramentum Eucharistiæ. Quam ob causam etiam omnes illi, qui aliam materiam loco panis & vini in celebratione Eucharistiæ adhibuere, in veteri Ecclesia heterodoxias damnati fuere. Sic Epiphanius improbat in Tatiano, quod prætextu continentia sola aqua in mysterijs divinis usus. Idem eo nomine damnat Encratitas, quod in mysterijs aqua uterentur. *Vino enim omnino non utebantur, diabolicum esse dicentes, bibentes ac utentes iniquos esse peccatores.* S. Augustinus hæreticis annumerat Aquarios, ex eo sic appellatos, quod *aquam in poculo Sacramenti, non illud, quod omnis Ecclesia, offerebant* h. e. quod in sacrosancta Domini nostri Iesu Christi coena aquam pro vino substituebant ac usurpabant. Similiter Cyprianus reprehendit eos, *qui contra evangelicam & apostolicam doctrinam in dominico calice aquam offerebant*: Pariter & Iulius Papa increpat eos, *qui contra divinos ordines & apostolicas institutiones lac pro vino in divinis sacrificijs dedicabant.* Cataphryges damnat Augustinus, eo quod panem eucharisticum e farina sanguine humano subacta conficiebant: *De infantis, inquit, anniculi sanguine, quem de toto ejus corpore minutis punctiionum vulneribus extorquent quasi, Eucharistiam suam perficere perhibentur, miscentes eum farina, panemq; inde facientes, qui puer si mortuus fuerit, habetur apud eos pro martyre; sin autem vixerit pro magno Sacerdote.* Gnostici quid loco panis & vini usurpaverint, cum horrendum dictu & auditu sit, merito silentio præterimus, cognosci tamen poterit ex Epiphanio, Har. xxvi.

Har. XLVI.

Har. XLVII.

Har. XLIV.

ep. LXII.

de consec.
dist. II. c. VII.

Har. XXV.

XL. Nihil autem refert, sive panis fuerit fermentatus sive azymus, sive orbicularem sive aliam formam habuerit,

E

buerit,

buerit, modo verus panis fuerit. In Ecclesia Latina usurpatur panis azymus, in Græca fermentatus. Vtrumq; rectè fieri potest. Ad veritatem enim Sacramenti hujus sufficit panis verè ita dictus: jam verò tam panis azymus quàm fermentatus propriè dictus panis est; uterq; igitur licitè in celebratione Eucharistiæ pro more Ecclesiæ adhiberi poterit. Similiter nihil refert sive album sive rubrum usurpetur vinum, modò verum vinum fuerit. Hinc si sumeretur loco vini in celebratione Eucharistiæ vinum adustum, Sacramentum procul dubio non foret. Nec simpliciter necessarium est, ut vinum illud aqua diluatur seu permisceatur. Licet enim illa permixtio in primitiva Ecclesia obtinuerit & etiamnum locum habeat in Ecclesia Græca & in magna parte quoque Ecclesiæ Latinæ; non tamen est de essentia hujus Sacramenti: neutrum enim Christus præscripsit h. e. neque iussit, ut vino aquâ permixto utamur, neque id prohibuit. In talibus igitur liberum erit Ecclesiæ, quid sequi velit.

XLI. Panis autem hic per consecrationem non desinit esse panis aut esse suum substantiale amittit, sed uti ante ita & post eam verus panis manet. Idem de vino esto iudicium. Docet id præter rem ipsam evidenter Scriptura panem quoque benedictum panem appellans. Sic ait Apostolus *Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne communio sanguinis Christi est? Panis, quem frangimus nonne communio corporis Christi est?* Idem de benedicto pane ait: *Quotiescunq; comederitis panem hunc & poculum hoc biberitis, mortem Domini annuncietis, donec venerit. Itaq; quisquis ederit panem hunc, aut biberit de poculo Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem homo seipsum & sic de pane illo edat & de poculo illo bibat.* Contingit quidem circa panem & vinum, dum consecrantur, quædam mutatio: à communi
ni

I. Cor. x. 16.

I. Cor. xi.
26, 26, 28.

ni enim usu per hoc separantur & ad actum sacramentalem destinantur; verum hæc mutatio non est substantialis, nec per eam Substantia panis & vini aboletur. Solet quandoque Scriptura rem denominare ex eo, quod quandoq; fuit, ut quando coecos, claudos, surdos, mortuos appellat eos, qui aliquando tales erant. Item impium, non qui talis modo est, sed qui talis aliquando fuit. Hoc verò in præsentia locum non habere vel ipsi sensus testari possunt: neq; enim forma horum Symbolorum externa, neq; sapor per consecrationem amittitur seu mutatur.

Matt. xi. 5.

Rom. iv. 5.

XLII. Interventu autem panis & vini consecrati manducantibus & bibentibus exhiberi verum corpus Domini; item verum Domini sanguinem, firmiter credimus, modum, quo id fiat, non determinantes nec determinare valentes. *In sancta*, ait alicubi Venerandus Dn. D. Calixtus, *Eucharistiâ sive Cœnâ dominicâ adsunt, & quando editur panis, editur quoque corpus, (vocibus propriè & non figuratè acceptis) & quando bibitur vinum, bibitur quoq; sanguis Domini, non quidem mediante solum fide, per quam citra omne Sacramentum corpus Christi à fidelibus editur & sanguis bibitur, non tamen propriè sed metaphoricè, nullog; inter esum & potum, quale hic manifestissimum est, discrimine; nec mediante vel transsubstantiatione panis vel ubiuitate corporis Christi, vel ejus locali aliqua inclusione, alligatione aut commixtione; nec interventu descensus & ascensus: sed modo supernaturali, quem simpliciter & in solidum divina omnipotentia imputamus & committimus, nobis aliàs incognito, ineffabili, incomprehensibili & indeterminabili; verè tamen & secundum ipsam substantiam.*

XLIII. Notanter autem diximus manducantibus & bibentibus verum corpus & sanguinem Domini exhiberi. Cum enim præsentia hæc corporis & sanguinis Christi non aliunde nobis constet, quam ex ipsis institutio-

nis verbis præter actum consecrationis & sumtionis manducationem quoque atque bibitionem involventibus, prius certi esse non possumus de corporis & sanguinis Domini præsentia, quam omnes illi actus à Christo præscripti ritè fuerint peracti. Nisi itaque manducatio & bibitio accesserit, licet panis & vinum consecretur & manibus accipiatur, de præsentia tamen corporis & sanguinis Domini nobis nihil licet promittere. Quibus enim ipse Christus corpus & sanguinem se exhibiturum non promittit, illis procul dubio non exhibet. Iam verò ijs, qui non manducant & non bibunt, non promittit: non itaque illis exhibet.

XLIV. Quotquot autem pane hoc benedicto vescuntur & de benedicto hoc poculo bibunt, corporis & sanguinis Christi participes fiunt, sive illi fuerint poenitentes & pii, sive impii & impenitentes. Impii quidem non tantùm nihil inde percipiunt emolumenti, sed & graviorè sibi accersunt poenam. *Qui enim ait, Apostolus, ederit panem hunc aut biberit de poculo Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini: Et rursus: Qui edidit & bibit indignè, iudicium sibi ipsi edidit & bibit non ad iudicans corpus Domini.* Contra vero pii hoc inde consequuntur, ut memoria passionis & mortis dominicæ, quæ fidei nostræ basis & fundamentum præcipuum, apud eos efficacissimè renovetur ipsorumque fides incrementum capiat & confirmetur.

XLV. Ad sacri hujus epuli honorem facit, quod in veteri Ecclesia constitutum, ut non nisi à jejunis ordinariè acciperetur. Testatur id Augustinus: *Corpus, ait, & sanguis in universa Ecclesia semper à jejunis accipitur. Et hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius dominicum corpus intraret, quam exteri cibi. Nam ideo per universum orbem mos iste servatur.* Rectè interim

terim iudicat D. Thomas, dum ægrotos imminente præ-
sertim mortis periculo excipiendos esse statuit: *Ab hac, in-*
quit, generali regula excipiuntur infirmi, qui statim communi-
candi sunt, etiam post cibum, si de eorum periculo dubitatur, ne
sine communione decedant; quia necessitas legem non habet. Unde
dicitur, Presbyter infirmum statim communicet, ne sine commu-
nione moriatur. Similiter propter reverentiam huic Sacra-
mento debitam non tantum notorie improbi & impœni-
tentes plane non admittebantur, sed & lapsi in graviora
crimina, pœnitentiã licet postea ducti, ad tempus ab ejus
usu abstinere jubebantur. Sic qui *ἐκστρωσ* hominem in-
terfecerat annos xx. qui *ἀνωσιως* x. qui adulterium commi-
serat xv. Fornicator verò vii. abstinere debebat. Et tan-
tum de altero Ecclesiæ N. T. Sacramento.

XLVI. Qui horum sacrorum communione gau-
dent fideique Christianæ capita admittunt, illi omnes di-
cuntur Fideles & Ecclesiæ membra, quamvis non omnes
veram & salutarem fidem habeant. Quamprimum enim
aliquis fidelium deditã operã seu contra conscientiam
peccat seu, ut Scriptura loquitur, peccatum facit, veram
& salutarem fidem amittit ac verè credens esse desinit. Non
quidem talis amittit fidem, prout consistit in assensu: cer-
tum enim est scortatorem & adulterum hoc ipso, quod
crimen tale perpetrat, notitiam articulorum fidei non a-
mittere, nec desinere, hoc credere, quod Christus sit natus,
passus &c. amittit interim eam, prout consistit in fiducia
h. e. talis ut talis non potest fiduciam suam ponere in mor-
te & merito Christi, quandoquidem in tota Scriptura nul-
la extat promissio, quæ tali ut tali gratiam remissionis pec-
catorum & vitam æternã promittat. Sanè reperiuntur forte
plures, qui quamvis peccatum faciant h. e. peccatis contra
conscientiam operam dent, tamen in morte & merito Chri-

E 3

sti se-

part. 3.
Sum. q. 27.
art. VIII.

de confer-
crat. dist. 17.
C. Presby-
ter.

i. Joh. 1. 9.



sti securè acquiescant, indubitanter sibi remissionem & vitam æternam promittentes. Verùm enim verò periculossimè tales errant, dum sibi persuadent, se veram habere fidem, cum tamen vix umbram ejus habeant. Operæ itaque pretiū est, ut quilibet fidelium se probet, utrum in fide sit; qui enim peccatum facit, in fide non est; quandoquidem fides cum ejusmodi peccato non patitur se congi. *3. Ioh. III. 9.* *Omnis, ait Apostolus, qui natus est ex Deo peccatum non committit: quoniam semen ipsius in eo manet & non potest peccare, eò quod ex Deo natus est.*

XLVII. Sponte hinc sequitur, eos qui peccatis contra conscientiam dant operam, operaque carnis faciunt, quamdiu tales sunt nec in statu gratiæ esse, neq; vitæ æternæ participes fieri posse. Si enim fides ex parte hominum unicum illud mediū est, quo gratiam Dei & vitam æternam per Christū acquisitam proxime consequuntur; & verò, qui ejusmodi peccatis operam dant, fidem non habent: manifestum est, eos & favore Dei & æterna beatitudine excludi. Oportet igitur verè fideles, postquam videlicet solā fide, per gratiam Dei & meritum Christi, remissionem peccatorum jusq; vitā æternā aliquando potiundi, sunt consecuti, deinceps in novitate vitæ ambulare, bonis operibus operam navare, Deum & proximum diligere, à malis contra abstinere, idololatriam homicidium, perjurium, adulterium, scortationem, furtum, mendacium & hujus generis alia sollicitè vitare, modò æternam damnationem effugere regnumq; Dei ingredi, ex animo desiderent. Hoc adeò disertè docet Scriptura, ut qui illud negare vel in dubium vocare ausit, extremè impius fuerit. *Matt. III. 10* *Confidentur modò hæc paucula: Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excinditur & in ignem conjicitur. Non quisquis*
Matt. VII. 21 *dicit mihi Domine, Domine! introibit regnum cælorum, sed qui facit*

facit voluntatem Patris mei, qui est in caelis. Dicit Rex h. e. Matt. xxv.
Christus, qui a dextris sibi erunt: Venite benedicti patris mei, 34.
possidete regnum paratum vobis a constitutione mundi — Dicit 41.
& his, qui a sinistris erunt, Discedite a me maledicti in ignem a-
ternum, qui paratus est diabolis & angelis ejus — Et ibunt hi 46.
in supplicium aeternum, justi vero in vitam aeternam. Veniet hora Ioh. v. 28, 29
in qua omnes, qui in monumentis sunt audient vocem ejus (Filij
hominis) & prodibunt, qui bona fecerunt in resurrectionem
vita: qui vero mala fecerunt in resurrectionem judicij. Qui Rom. 11, 6.
(Deus) reddet unicuique secundum opera ipsius: Illis qui in per- 7. 8. 9.
severantia operum bonorum gloriam & honorem & incorruptibi-
litatem quarunt, dat eis vitam, qua est in aeternum: Rixosis vero
& veritati quidem non assentientibus, obsequentibus autem in-
justitia, erit excandescencia & ira. Et afflictio & conturbatio
erit omni homini, qui operatur mala, Judais, primum, deinde gen-
tilibus. Non enim est personarum acceptio apud Deum. Debitores Rom. 11x.
sumus non carni, ut secundum carnem vivamus, sed Spiritui. 12. 12.
Nam si secundum carnem vixeritis, futurum est, ut moriamini:
sed si Spiritu actiones corporis mortificetis, vivetis. Manifesta Gal. v. 19.
sunt opera carnis: qua sunt adulterium, scortatio, impuritas, 20. & c. 2.
lascivia, Idololatria, veneficium, inimicitia, lites, amulationes,
excandescencia, rixa, dissidia, haereses, Invidia, cades, ebrietates
comestiones & his similia, qua praedico vobis, prout etiam pra-
dixi: eos videlicet qui talia agunt, regni Dei non fore heredes.
An ignoratis injustos non esse Dei hereditatem possessuros? 1. Cor. vi. 9.
Ne errate, neque scortatores, neque idololatra, neque machi, neque 10.
molles, neque qui concumbunt cum masculis, neque fures, neque a-
vare, neque ebriosi, neque conviciatores, neque rapaces, regni Dei ha-
reditatem possidebunt. Id quod seminaverit homo, illud ipsum Gal. vi. 7. 8.
messurus est. Qui in carne seminaverit, de carne corruptionem
messurus est: qui in Spiritu seminaverit, de Spiritu vitam, qua est
in aeternum, metet. Hoc nostis, nullum scortatorem aut impurum Eph. v. 5.
aut

aut avarum, qui est idololatra, habere hereditatem in regno
Eph. xii. 14. Christi & Dei. Pacem sectamini cum omnibus & sanctimoniam:
quia sine ea nemo Dominum nostrum visurus. Et quid opus est,
multa hujus rei testimonia adducere, cum in Scripturis
omnibus passim obvia?

XLIX. Quemadmodum autem illi, qui rectè qui-
dem credunt & tamen juxta carnem vivunt, non sunt in
Christo nec vera Ecclesiae membra, quamvis in Ecclesia sint
Sacramentis utantur & fideles audiant: sic contra qui fi-
dem integram inviolatamq; tenent, & abnegata omni im-
pietate & mundanis cupiditatibus piè juste & sobrie in
præsente seculo vivunt, ac in bonis illis operibus, ad quæ in
Christo conditi, ad finem usq; vitæ ambulant, illi sunt in
Christo, militantis Ecclesiae hic vera membra & post hanc
vitam triumphantis quoq; futura, quicumq; aliàs fuerint
sive servi sive liberi, sive mares sive foeminae, sive Iudæi
Cal. v. 28. sive græci. Nam hic non est Iudæus, neq; Græcus, non est servus
neq; liber, non est masculus ac foemina, omnes enim unum
Rom. ix. 1. sunt in Christo Iesu. Et nulla est condemnatio ijs, qui sunt in Chri-
sto Iesu, qui non secundum carnem ambulant, sed secundum Spi-
ritum. Facit quidem discrimen alicubi Aristoteles inter ci-
v. ves simpliciter & secundum quid & imperfectè: sed hæc
distinctio locum hic non invenit; nisi fortè quis Cate-
chumenos & ad tempus à communione excludos secun-
dum quid Ecclesiae cives dicere velit.

XLIX. Omnes autem hi fideles, in quacunq; mundi
parte habeant domicilium, Servatori nostro Iesu Christo
subjiciuntur. Quam ob causam & caput Ecclesiae in Scri-
ptura nominatur. Sic ait Apostolus: Omnia (Deus) sub-
jecit ejus (Christi) pedibus eumq; constituit caput super omnia
Eph. i. 22. Eph. v. 32. ipsi Ecclesiae. Et alibi: Vir est caput uxoris, ut & Christus est
Col. i. 18. caput Ecclesiae: Et rursum. Ipse (Christus) est caput corporis
Ecclesiae

Ecclesia, qui est principium & primogenitus ex mortuis, ut sit primarius in omnibus. Non tantum autem sic appellatur, quia ab ipso in universos fideles dona gratiae, quorum virtute spiritualiter animantur, sicut à capite Spiritus animales in corpus, derivantur; sed & ideò quia in Ecclesia summam in omnibus potestatem obtinet, square & Rex Regum & Dominus dominantium appellatur. Sicut autem penes ^{Apoec. xix. 16.} Regem in regno, propriè ita dicto, Majestas & omnia majestatis jura, ita & penes Christum in Ecclesia, quæ ejus Regnum est spirituale, omnia majestatis jura spiritualia resident. Ea inter præcipua potestas præscribendi credenda, seu Articulos fidei, omnibus ad Salutem necessarios, potestas instituendi Sacramenta, gratiam supernaturalem vel conferentia vel obfignantia, potestas leges ferendi, juxta quas vivere oporteat Christi futuros cohæredes: potestas denique constituendi Magistratus ecclesiasticos &c. His juribus omnibus Servatorem nostrum gaudere nemo negabit. Ipse enim præscripsit, quid credere debeant fideles, finem fidei h. e. salutem animarum aliquando reportaturi; nec tantum præscripsit, verum etiam mediante verbo gratiam hanc fidelibus largitur, ut mysterijs divinis rationem humanam longè superantibus firmum & immotum assensum & uti ad Salutem necessarium est, præbere possint. Idem priusquam ex mundo abiret & ad Patrem, unde venerat, reverteretur, instituit ritus illos ad promovendam nostram Salutem ordinatos, quos Sacramenta appellamus, Baptismum videlicet & Eucharistiam. Non obscure quoque docuit, quid facere quid fugere debeant cives hujus Reipublicæ ecclesiasticæ, si præmia cœlestis gloriæ reportare & secum aliquando regnare animum induxerint. Deniq; constituit magistratus ecclesiasticos h. e. ut Apostolus loquitur, *dedit alios Apostolos, alios vero* ^{Eph. iv. 2.}

F

Prophe-

Prophetas, alios autem Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores.

L. Paret hinc Rempublicam ecclesiasticam, seu quod idem est, Ecclesiam, speciem Monarchiæ præ se ferre. Vt uti ei im. Respublica, in qua unus summam potestatem seu maiestatis jura habet, monarchica dicitur: sic & status Ecclesiæ ex eo quod penes Servatorem nostrum summa potestas residet rectè monarchicus dici poterit. | Solum enim habet potestatem præscribendi credenda, solum potest instituire Sacramenta, vim producendi effectum supernaturalem habentia, & quod præ cæteris Regibus ipsi peculiare, solum potest largiri gratiam, per quam media ad nostram salutem facientia ad praxin deducantur: solum denique id præstare potest, ne portæ inferorum Ecclesiæ prævalere queant.

LI. Quamvis itaq; Status Ecclesiæ ad modum Reipublicæ consideratæ sit monarchicus, inde tamen non sequitur, modum administrandi quoque debere esse monarchicum, seu quod idem est, monarchicè administrari. Non enim necesse est, ut modus administrandi semper respondeat formæ reipublicæ, sed fieri potest, ut status monarchicus sit, ita tamen ut aristocraticè administretur: & rursus ut forma sit aristocratica, modus vero administrandi monarchicus, sicut alibi docetur.

LII. Pontificij in eo valdè desudant, ut nobis persuadeant, & externū regimen Ecclesiæ monarchicum debere esse. Vnde & immensam penè Pontifici Romano (si Gallos & Parisienses excipias eum Concilio inferiorem pronunciantes) potestatem tribuunt. Dicunt enim, quod jure divino & ab ipso Christo constitutus sit Ecclesiæ caput & Princeps, Pater & Doctor omnium fidelium, Episcopus u-

niver

niversalis, quod auctoritatem habeat de rebus fidei infal-
libiliter determinandi, quod nullum capitulum nullusque
liber canonicus habeatur absq; illius auctoritate, quod ab
ipso non detur appellatio, quod à nemine possit judicari;
quod omnibus Episcopis & fidelibus in unum congrega-
tis sit superior, quod possit deponere Imperatores & Re-
ges, subditosq; à juramento & obsequio absolvere, &c. Et
sanè si res ita se haberet, externum illud Ecclesiae regimen
monarchicum sine dubio foret. Verùm nec ita est, nec un-
quam fuit. Ex institutione prima Christi non ab uno sed
à pluribus administrata fuit Ecclesia h. e. ab ipsis Apосто-
lis, quorum unus quantum ad externum illud regimen non
majore, quam alter, potestate gaudebat : Non igitur ex
institutione Christi administrandi modus est monarchi-
cus, sed potius aristocraticus.

LIII. Primi hi Ecclesiae Rectores Apostoli alias dicti
præ alijs habebant, ut non tantum linguarum & miraculo-
rum donis pollerent, sed & adstantem Spiritus S. gratiam
haberent adeò ut in consignandis fidei dogmatibus erra-
re non potuerint. Qui ab his Ecclesiae præficiantur ma-
nuum impositione tanquam solemnem ceremoniam adhibita
præfecti leguntur in epistolis Paulinis. Ita enim scribit Apo-
stolus. *Non negligito donum, quod in te est, quod datum est tibi per* 1. Tim. iv. 9
prophetiam, cum impositione manuum presbyterij, & alibi: Manum 14.
aito nemini imponas. Et rursus: *Quam ob causam in memoriam* 1. Tim. v. 22
revoco tibi, ut exsuscites donum Dei, quod est in te per impositio-
nem manuum mearum. Hæc ceremonia prout antiquissi- 2. Tim. i. 6.
ma; ita merito in Ecclesia retinetur. Vocantur autem, qui-
bus solemnem hoc ritu cura Ecclesiae commissa erat in Scri-
pturis indiscriminatim Episcopi ac Presbyteri. Hodie
communiter dicuntur Sacerdotes, Doctores & Pastores
Ecclesiae.

LIV. Sunt vero Rectores & Pastores Ecclesiae id ferè in Ecclesia, quod Magistratus in Republica. Sicut enim 1. Magistratus praesides sunt civitatis, unde & ab Aristotele ἐπιστάται τῆς πολιτικῆς κοινωvίας dicuntur: ita Pastores & Doctores cum quadam potestate praesunt Ecclesiae quare ἡγούμενοι appellantur. Sicut 2. Magistratus potestatem quàm in civitate pollent, ab alio sibi collatam habent; sic & Pastores Ecclesiae ab ipso Christo, cujus vices gerunt, potestatem suam sunt consecuti. 3. Sicut Magistratus eorum, à quibus constituti, tenentur legibus, novas autem propria autoritate nec ferre, nec latas abrogare possunt: Sic & Ecclesiae Doctores Christi legibus obtemperare tenentur, nec in eorum potestate est, in novos articulos fidei condere, nova Sacramenta instituire, aut numerum eorum augere vel minuere.

L V. Horum ministerio Christus utitur in colligenda & conservanda Ecclesia & hominum salute procuranda. Quam ob causam de illis dicitur, quod sint Dei συνεργοι h. e. cooperarij: Christi ministri & dispensatores mysteriorum Dei, pro Christo Legati, quod per eos Deus nos hortetur, quod auditores suos salvent. Dum enim Verbum Dei h. e. Legem & Evangelium praedicant, id Deus in animis audientium operatur, ut peccata sua agnoscant, ob admissa doleant, in morte meritoque Christi fiduciam ponant, in novitate vitae ambulare incipiant, inque ea perseverantes Salutem per Christum partam tandem adipiscantur. Competit igitur Ecclesiae Doctoribus ex aequo 1. ut verbum Dei doceant. Quod enim Christus mundo mox valedicturus omnibus suis dicit Apostolis; *Profecti, inquit, in mundum universum predicate Evangelium omni creaturae*: id ad omnes ipsorum successores seu Ecclesiae Doctores sine discrimine pertinet.

Docere

Pol. xv.

Ab. III. 17.

1. Cor. III. 9.

1. Cor. IV. 1.

2. Cor. V. 20.

1. Tim. IV. ult.

Matth. xvi. 33.

Docere autem debent non tantum, quomodo homines recte credere, sed & quomodo recte vivere debeant; cum utrumque ijs, qui salvari cupiunt, summe sit necessarium. 2. Potestas administrandi Sacramenta, quæ sunt quasi sigilla Verbo, fœderisq; tabulis appensa, ut ita quorum ordinariè est verbum prædicare, eorum quoq; sit Sacramenta administrare. Pertinet huc quod Servator, facta potestate Apostolis verbum docendi, potestatem & faciat baptizandi: *Profecti*, inquit, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti.* 3. Potestas clavium h. e. solvendi & ligandi, de qua Christo sermo est, quando ait: *Dabo tibi claves regni cælorum: & quicquid ligaveris in terra, erit ligatum in cælis: quicquid vero solveris in terra, erit solutum in cælis: item. Si remiseritis peccata alicui, remittentur ei: & si retinueritis peccata alicujus, retenta sunt.* Quod autem hoc loco Apostolis dicitur, id & ipsorum successoribus dictum esse intelligatur.

Matt. xxi. 29.

Matt. xvi. 19.

Ioh. xx. 23.

LVI. Nihil autem aliud potestate clavium ecclesiæ ministris facta significatur, quam ipsos nomine Dei posse annunciare ex Evangelio pœnitentibus remissionem peccatorum, contra vero impœnitentibus iram Dei & maledictionem. Quemadmodum enim Deus non nisi pœnitentes & in Christum credentes solvit h. e. ijs peccata remittit, & non nisi impœnitentes ligat h. e. peccata ijs non condonat: sic & ecclesiæ Doctores solum pœnitentes solvere & impœnitentes ligare valent. Si igitur eorum aliquis impœnitenti & impio sive ex errore sive ex malitia manu capiti imposita in nomine Patris, Filij & Spiritus S. remissionem peccatorum annunciaverit, per hoc minimè in cælo solvitur h. e. ipsi à Deo peccata remittuntur. Rursus si pœnitentem liget & absolvere nolit, hoc non obstante, Deus ipsum absolvit & favore suo dignatur.

F 3

Quod

Quod si vero juxta præscriptum à Christo modum cum hominibus egerit & poenitentibus gratiam Dei & remissionem peccatorum: impoentibus vero iram Dei & æternam damnationem in nomine Dei annuntiaverit; id in cœlis ratum habetur non minus, ac si ipse Deus fecisset.

LVII. Omnes autem Ecclesiæ ministri quantum ad hoc pari gaudent potestate. Hinc quos unus potest ligare & solvere, illos & alter potest: & rursus, quos unus ligare vel solvere non potest, eos nec alter valet. Sicuti enim Christus æqualiter dedit potestatem Apostolis suis ligandi & solvendi, seu quod idem est, remittendi & retinendi peccata, nec unus præ alio in hoc prærogativam habuit: pariter & quotquot munere ecclesiastico hodie funguntur, in eo æquali gaudent jure. Dicunt quidem Patres Concilij Tridentini, *magnopere ad Christiani populi disciplinam pertinere, ut atrociora quadam & graviora crimina non à quibusvis, sed à summis duntaxat Sacerdotibus absolventur, unde merito Pontifices Max. pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa traditâ causas aliquas criminum graviores suo potuisse peculiari judicio reservare: neque dubitandum esse, quin hoc idem Episcopis omnibus in sua cuiq; diœcesi in ædificationem tamen, non in destructionem liceat, præsertim quoad illa quibus Excommunicationis censura annexa est: addunt insuper, hanc delictorum reservationem consonam esse divine auctoritati non tantum in externa politia sed etiam coram Deo vim habere: tandem & hunc*

sess. xiv. c. vii. can. xi. canonem subiiciunt: *Si quis dixerit Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atq; ideò casuum reservationem non prohibere, quo minus Sacerdos à reservatis verè absolvat, anathema sit. Verum si dicerent, casuum hanc reservationem ad Episcoporum & præsertim Romani Pontificis potestatem amplificandam & extollendam multum facere ejusque ambitioni valdè inservire,*
vero

vero magis consona dicerent, quam quod dicunt eam esse
divinæ auctoritati consonā, & etiam corā Deo vim habere.

LIIIX. Eundem procul dubio finem sibi propo-
tum habent Indulgentiæ, quæ juxta Gregorium de Va-
lencia, *sunt relaxatio pœnæ temporalis judicio divino peccatis
actualibus post remissam culpam debita, per applicationem supera-
bundantium Christi & sanctorum satisfactionum, facta extra Sa-
cramentum ab eo, qui legitimam ad hoc auctoritatem habet. Hac
autem auctoritas, ait Bellarminus, potissimum residet in summo
Pontifice ac propterea potest ipse Indulgentias etiam plenarias om-
nibus fidelibus elargiri.* Hoc ipsum autem indulgentiarum
genus uti Scripturæ, ita & antiquæ ecclesiæ fuit prorsus in-
cognitum, quod vi veritatis adactus Alfonsus de Castro
ultra largitur: *Inter omnes res, ait, de quibus in hoc opere di-
sputamus, nulla est, quam minus apertè sacræ literæ prodiderint &
de qua minus, vetusti Scriptores dixerint.* Fit quidem & apud
veteres Scriptores quandoq; mentio indulgentiarum,
quæ tamen multis modis à Papalibus illis Indulgentiis
differunt: Illæ enim erant remissiones & relaxationes pœnæ
ecclesiasticæ; has verò dicunt esse relaxationes pœnarum
temporalium judicio divino peccatis actualibus post re-
missam culpam debitarum: Illæ concedebantur homini-
bus ob grave aliquod crimen à communione exclusis; has
verò dicunt concedi hominibus in statu gratiæ constitu-
tis & ad communionem jam tum admissis: Illæ nullo ni-
tebantur Ecclesiæ thesauro; harum verò fundamentum
præcipuum ex superabundantibus Christi satisfactio-
nis B. Mariæ virginis aliorumque sanctorum passio-
nibus constantem: Illæ erant remissiones tantum pœna-
rum hac in vita luendarum; has vero & defunctorum ani-
mabus in purgatorio pœnas luentibus prodesse volunt:
Illas certas ob causas quilibet Episcoporum poterat con-
cedere

Disp. VII.
Tom. IV.
q. 20 p. I.

l. I. de In-
dulgentiis
c. XI.

l. VIII. ad
versus hæ-
reses voce
Indulgen-
tiæ.

Bellarmin. l.
I. de Indul-
gent. c. II.

cedere; has verò præsertim plenarias omnibus fidelibus dare, propriè ad auctoritatem Pontificis spectare dicunt.

LIX. Verè autem potest dici de indulgentiis illis Papalibus, quarum fundamentum juxta Bellarminū ecclesiæ thesaurus est, quod multum conferant ad thesaurum & opes Pontificis Romani cumulandas. Cui fini sine dubio & inservit annus jubilæus. Vocant autem annum Jubilæum, in quo omnibus templa Petri & Pauli Romæ constituta devotè visitantibus liberaliter aperitur spiritualis thesaurus Ecclesiæ & plenariæ imò plenissimæ indulgentiæ largiter dispensantur. Inventor hujus jubilæi est Bonifacius IX. Pontifex Romanus qui anno clō ccc. primum celebravit Jubilæum ac insuper sanxit, ut centesimo quoque anno celebretur. *Antiquorum, ait, habet fida relatio, quòd accedentibus ad honorabilem basilicam principis apostolorum de urbe, concessæ sunt magnæ remissiones, & indulgentiæ peccatorum. Nos igitur, qui juxta officij nostri debitum, salutem appetimus & procuramus libentius singulorum, hujusmodi remissiones & indulgentias omnes, & singulas ratas & gratas habentes, ipsas auctoritate apostolica confirmamus & approbamus, & etiam innovamus & presentis scripti patrocinio communitimus. Ut beatissimi Petrus & Paulus Apostoli eò amplius honorentur, quo ipsorum basilica de urbe devotius fuerint à fidelibus frequentata, fideles & ipsi spiritualium largitione munerum ex hujusmodi frequentatione magis senserint se refertos: Nos de omnipotentis Dei misericordia, & eorundum apostolorum, ejus meritis, & auctoritate confisi de fratrum nostrorum consilio & apostolica plenitudine potestatis, omnibus in presenti anno millesimo trecentesimo, à festo natiuitatis domini nostri Iesu Christi præterito, proximè inchoato, & in quolibet anno centesimo secuturo, ad basilicas ipsas accedentibus reverenter verè pœnitentibus & confessis, vel qui verè pœnitebunt, & confitebuntur in*
hujus-

I. v. extra-
vag. com-
mun. de
pœnitent.
& remiss.

hujusmodi presenti, & quolibet centesimo secuturo annis, non solum plenam & largiorem, imò plenissimam omnium suorum concedemus, & concedimus veniam peccatorum: Statuentes, ut qui voluerint hujusmodi indulgentiæ à nobis concessæ fieri participes: si fuerint Romani, ad minus xxx diebus continuis, seu interpolatis, & saltem semel in die: Si verò peregrini fuerint, aut forenses, simili modo diebus XV ad basilicas easdem accedant. Unusquisq; tamen plus merebitur, & indulgentiam efficacius consequetur, quæ basilicas ipsas amplius & devotius frequentabit. Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, approbationis, innovationis, concessionis, & constitutionis infringere &c.

LX. Institutum hoc Clemens VI. anno c10 cccxlii. Pontifex creatus non tantum non improbavit, sed & cum Romani dicerent, ætatem hominum jubilæum illum centum annorum attingere non posse, ideoq; peterent, ut ad quinquagesimū redigeretur, haut difficilem in annuendo se præbuit: Nos, inquit, attendentes, quod annus quinquagesimus in lege Mosaica (quam non venit Dominus solvere, sed spiritualiter adimplere) jubilæus remissionis & gaudij sacerq; dierum numerus, quo lege fit remissio, censebatur: quodq; ipse quinquagenarius numerus in testamentis, veteri quidem ex legis datione, novo ex visibili Spiritus Sancti in discipulos missione, per quem datur peccatorum remissio, singulariter honoratur. Quodque huic plura & grandia divinarum adaptantur mysteria scripturarum: & clamorem peculiaris populi nostri Romani, videlicet hoc humiliter supplicantis, ac nos ad instar Moysi & Aaron per proprios & solennes nuncios, ad hoc destinatos specialiter orantis pro toto Christiano populo, & dicentis: Domine aperi eis thesaurum tuum, fontem aquæ vivæ, desiderantes benignius exaudire, non quidem ut sicut illius Israëlitici populi indurati, cesset murmuratio, sed ut istius prædilecti populi & cunctorum fidelium augetur devotio, fides splendeat, spes vigeat, charitas vehementius

l.c. cap. 11.

rius incalescat. Volentesq; quàm plurimos huiusmodi indulgentia-
fore participes, cum pauci multorum respectu propter vita homi-
num brevitatem valeant ad annum centesimum pervenire, de
fratrum consilio prædictam concessionem indulgentia ex supra-
scriptis & alijs justis causis ad annum quinquagesimum duximus
reducendam. Statuen. de frat. con. & apostolica plenitudine
potestatis, ut universi fideles, qui verè pœnitentes & confessi in
anno à nativitate ejusdem M. CCC. quinquagesimo proxime fu-
turo, & deinceps perpetuis futuris temporibus de quinquaginta in
quinquaginta annis prædictas eorundem Petri & Pauli apostolo-
rum basilicas & Lateranen. ecclesiam causa devotionis modo præ-
dicto visitaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum ve-
niam consequantur, ita videlicet, ut quicumq; voluerint indulgen-
tiam huiusmodi assequi, si Romani ad minus XXX, si verò peregrini
aut forenses, modo simili XV. diebus ad prædictas basilicas, & ec-
clesiam accedere teneantur: Adyccientes, ut ij etiam, qui pro ea
consequenda ad easdem basilicas, & ecclesiam accedent, post iter
arreptum impediti legitimè, quò minus ad urbem illo anno vale-
ant pervenire, aut in via vel dierum prætaxato numero non com-
pleto in dicta urbe decesserint, verè pœnitentes (ut præmittitur)
& confessi, eandem indulgentiam consequantur.

In vita Vr-
bani VI.

l. v. tit. IX.
cap. IV.

LXI. Annum hunc Iubilæum ex quinquagesimo ad
trigesimum tertium reduxit Urbanus VI. ceu Platina testa-
tur. Et tandem Paulus II. ad annum xxv. Sicut id videre est
ex Bulla Sixti IV. quæ extat in Extravag. commun. Olim, ait
ibi, felicis recordationis Paulus Papa II. prædecessor noster ra-
tionabilibus causis tunc expressis inductus, de venerabilium fratrum
nostrarum, tunc suorum, de quorum numero tunc eramus, consilio,
annum Iubilæum ab brevius tempus provida moderatione reducens,
illum ad annum XXV. apostolica auctoritate restrinxit, ac voluit,
statuit, & decrevit ex causis prædictis, quod singulis XXV. annis Iu-
bilæus annus prædictus celebrari deberet: quodq; anno Domini M.
CCCC LXXIV proxime futuro, videlicet à vigilia nativitatis Do-
mini

mini nostri Iesu Christi, idem annus Iubilæus inciperet, & ut sequitur, finiretur: ac universi ac singuli utriusq; sexus fideles, qui beatorum Apostolorum Petri & Pauli basilicas, Lateranensis quoq; & Sancta Maria majoris almae urbis ecclesias statutis diebus devotè visiterent, omnes & singulas indulgentias, & peccatorum remissiones consequerentur, quas idem Pontifex suiq; predecessores anno Iubilæo huiusmodi basilicas & ecclesias prædictas visitantibus devotè concesserant, per quasdam primò, & deinde nos, qui (dicto predecessore, sicut Domino placuit, de medio sublato) fuim; divina disponente clementia ad apicem summi apostolatus assumti, & per alias nostras literas ejusdem Pauli predecessoris ordinationè, voluntatem, & statutū, ac omnia & singula in eisdem suis literis contenta, de fratrum eorundè consilio approbantes: Similiter statuim; & ordinamus, quòd annus jubileus prædictus, cum eisdem indulgèntiis & remissionibus plenariis peccatorum, anno proximè futuro à vigilia nativitatis ejusdem incipere, & ut sequitur, continuari deberet: prout in singulis literis prædictis (quarum tenores præsentibus habere volumus pro expressis) plenius continetur.

LXII. Quibus ritibus festivitas anni Iubilæi inchoari soleat, id nos docet Paulus Piafecius Episcopus Præmisliensis qui Romæ præsens fuit, cum Cleniens VIII. solemnitatum Iubilæi anni Anno 1515 celebrati initium faceret. Pontifex, inquit, in vigilia Nativitatis Christi ab hora vesperarum, ex suis adibus ad Capellam Paulinam, Palatij Vaticani cum Cardinalibus & Episcopis, quorum magnus erat numerus, ac cum Oratoribus Regum & Principum descendens ibi in genua corā sanctissimo Sacramento, precationibus aliquibus enunciatis, intonuit hymnum: Veni creator Spiritus. Cereum accensum ipse & adstantes singuli tenentes & eo cantato cum universo præsentium cœtu, ipse in sella gestatoria sublimis habitu & mitra pretiosa Pontificali redimitus, per gradus Palatij ad vestibulum Templi Divi Petri descendit ac fixo gressu ante portam sanctam seu auream denominatam (occlusis manentibus omnibus

alijs ejusdem templi januis & ista sancta muro obserata) deposi-
tus è sua sella pedes accessit ad limen portæ, ibiq; cereum accen-
sum manu tenens & confidens mitratus in loco ad hoc parato,
Cardinalium ac Episcoporum super cancellos hinc inde substructos
sedentium corona circumseptus, malleo argenteo inaurato per-
cussit murum, quo obstructa erat porta sancta, occinens clara
voce: *Aperite mihi portam justitiæ, eiq; respondentibus canto-
ribus: Ingressus in eam confitebor Domino. Et iterans malleo
ictum dixit: Introibo in domum tuam Domine, replicantibus
Cantoribus, Adorabo ad templum tuum in timore tuo. Tertiò
demum pulsavit ajens: Aperite portas, quoniam Dominus nobi-
scum est. Choro persequente: Qui fecit virtutem in Israël. Tunc
tradito malleo summo pœnitentiario, mitra deposita, recitavit
precaionem: *Actiones nostras Domine præveni & eâ dictâ ite-
rum confidens legit Psalmum XCIX. Iubilate Deo omnis terra.
Interim fabri demoliebantur murum portæ. Et cum fuit aperta.
Pontifex mitra deposita eam subivit enuncians versus: Hac est
dies, quam fecit Dominus: cui respondebant cantores: Exultemus
& letemur in ea. Et iterum: Beatus populus tuus Domine. Resp.
qui fecit tabernaculum. Hac est porta Domini. R. justii intrabunt
in eam. Deinde subjunxit precaionem: Deus, qui per Moysen fa-
mulum tuum populo Israëlitico annum Iubilæi hujus & remissio-
nis instituisti, concede nobis famulis tuis, annum Iubilæi hujus tua
authoritate institutum, quo portam hanc populo tuo ad preces tue
Majestati offerendas ingredienti solenniter aperiri voluisti, feli-
citer inchoare, ut in eo venia & indulgentia plena remissionis o-
mnium delictorum obtenta, quum dies vocationis nostræ advene-
rit, ad cœlestem gloriam perfruendâ tue misericordiæ auxilio per-
ducamur, per Dominum nostrum Iesum Christum &c. Tunc pœni-
tentiarij S. Petri aqua lustrali aspergebant adstantes & decantato
hymno, Te Deum laudamus, Pontifex sella eadem sublatus, ad alta-
re. SS. Petri & Pauli transiit, ac dictis aliquibus precibus thronũ
pontificalem adscendit choro cantorum vespèras decantante. *Vr
autem***

autem Pontifex cum Cardinalibus & Episcopis portam Sanctam
transierat, populus irruens omnia cœmenta dejecta porta diripuit,
quisq; religionis ergò aliquid ex illis domum referre contendens, &
quod Pontifex cum portam obstruit, cœmento illi obstruenda portæ
parato numismata sua argentea & nonnulla aurea ingerere soleat,
quæ deinde in aperienda illa porta, in illis glebis & ruderibus lucri
avidè querunt. Aperta porta apud S. Petrum ad basilicam S. Mariæ
majoris, S. Iohannis in Laterano, S. Pauli extra portam Ostiensem,
Cardinales ritulos earum genentes iverant, & ibi portas similes
sanctas eodem ritu aperuerunt. Atq; tali solemnitate Iubilæum
inchoatum maximo populorum concursu celebrari in fine istius
anni incœpit. Hæc ille. Et hæc in transitu de anno jubilæo
notâsse sufficiat.

LXIV. Sed, ut è diverticulo in viam redeamus quo, subli-
mius est munus Rectorû Ecclesiæ, eo majori periculo expo-
siti sunt illud sustinentes: id quod nemo facilè negabit, qui
rem rectè expenderit: Pascenda enim seu regenda illis com-
missa est Ecclesia Dei, quam proprio sanguine acquisivit, Act. xx 28.
sanguis item culpa Sacerdotum pereuntium à manibus Ezech. iii. 5
eorum requiretur. Frequenter id inculcant prisce Ec-
clesiæ Doctores. Chryostomus: *Turem tuam*, inquit, in caput
Ioh. xx.
*quàm si bene ordinaris, nulla tibi alia sollicitudo impendet. Sa-
cerdos si vitam disposuerit, tuam autem non diligenter curaverit
cum impijs in gehennam detrudetur, & nonnunquam non proprijs
actionibus sed nostris damnatur, nisi omnia, quæ ad se spectant, ef-
ficiat.* Idem: *Non arbitror, inquit, inter Sacerdotes multos esse,* in caput
I. Act.
*qui salvi fiant, sed multo plures qui pereant. In causa est, quoniam
res excelsum requirit animum; multas enim habet causas, quæ de-
pellant ipsum à suis moribus & innumeris oculis illi opus est undè-
que. Non vides, quàm multas res oportet adesse Episcopo, ut sit ap-
positus ad docendum, ut tolerans malorum, ut tenax sit & fidelis in
doctrina sermonis? quanta hoc difficultatis, & quod alij peccant,
illi imputatur. Nihil dico, præterea, si vel unus tantum decedat non*

enitiatus, nonne totam ipsius subvertit salutem? unus enim animam
perditio tantam habet jacturam, ut nulla ratio possit estimare. Et
enim si unius anima salus tanti est, ut ob hanc Filius Dei fieret ho-
mo tantaq; pateretur, perditio, cogita, quantam conciliabit pœnam?
Quod si quis ob hominem in hac vita perditum morte dignus est,
quanto magis ille. His prorsus conformia leguntur passim a-
pud Augustinum: Nihil, ait, in hac vita & maximè hoc tempo-
re facilius & latius & hominibus acceptabilius, Episcopi aut Presby-
teri aut Diaconi officio, si perfunctorie atq; adulatorie res agatur;
sed nihil apud Deum miserius & tristius & damnabilius. Item ni-
hilest in hac vita & maximè hoc tempore difficilius, laboriosius,
periculosius Episcopi, Presbyteri aut Diaconi officio, sed apud Deum
nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster imperator jubet. I-
dem: Si, ait, diligenter attenditis, fratres charissimi; omnes Sacer-
dotes Domini, non solum episcopos, sed etiam presbyteros & mini-
stros ecclesiarum; in grandi periculo esse cognoscitis. Ipsi enim
contestatur Spiritus Sanctus, dicens, Clama, ne cesses: quasi tuba
exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum, & do-
mni Iacob peccata eorum. Et iterum, Si non annuncia veris iniquo
iniquitatem suam, sanguinem ejus de manu tua requiram. De ipsis
etiam Apostolus dicit, obedite prepositis vestris, & subiaceate eis: ipsi enim
pervigilant, tanquam rationem reddaturi pro animabus vestris. Si pro-
se, fratres charissimi, unusquisq; vix poterit in die iudicii rationem redde-
re, quid de sacerdotibus futurum est, à quibus sunt omnium anima requi-
rendæ? Et ideo considerantes periculum nostrum, orate pro nobis, ut com-
missis nobis gregibus ita spiritalia pasceamus studeamus iugiter providere,
ut pro eis rationem bonam reddere mereamur. Augustino jungatur
Bernhardus: Longè, inquit, graviori & periculosiori debito tenentur
adstricti (quam alij) qui pro multis animalibus reddaturi sunt rationem.
Quid ego infelix, quo me vertam, si tantum thesaurum, si pretiosum deposi-
tam istud, quod sibi Christus sanguine proprio pretiosius indicavit, conti-
gerit negligentius custodire? Si stillantem in cruce Domini sanguinem
collegissem, esset q; repositus penes me in vase vitreo, quod & portari sapius
oporteret, quid animi habiturus essem in discrimine tanto? Et certè id ser-
vandam accepi, pro quo mercator non insipiens (ipsa utiq; sapientia) san-
guinem

Ep. cxxviii.

in libro L.
Homiliarum
Hom. vii.

De triplici
adventu
Domini
Serm. iii.

guinem illum dedit. Sed & habeo thesaurum istum in vasis fictilibus, & quibus multo plura quam vitreis imminere pericula videantur.

LXIV. Quanquā a. ab initio Presbyterorū & Episcoporū nomina promiscue usurpabantur; successū tamen temporis distinguere cœperunt & Episcopi dicti, qui Presbyteris particularium Ecclesiarum præerant. Introductum porro est ad unitatem & concordiam inter Episcopos servandam, ut, unius provincie Episcopi subessent illi, qui in metropoli sedem suam habebat & inde Metropolitanus appellabatur. Qui inter omnes supremum locū tenebant, Patriarchæ dicebantur. Erant autem primū tres Patriarchæ videlicet Romanus, Alexandrinus & Antiochenus, quibus subsequētib; temporibus additi, Constantinopolitanus & Hierosolymitanus. Nacti hi dignitatem suam præcipuē à dignitate earum urbium, in quibus erant positi. Hinc cum Roma in Italia ob sedem imperatoriam præ reliquis esset illustrior & inter primarias prima, Alexandria in Ægypto secunda & Antiochia in Syria tertia, præcul dubio eam ob causam Romano primus, Alexandrino secundus, Antiocheno tertius locus fuit attributus. Postquam verò à Byzantio facta fuit Constantinopolis eoq; sedes imperatoria translata, uti secundum locum obtinuit, ita & Constantinopolitanus Patriarcha secundum inter Patriarchas obtinere cœpit. Tandem & in honorem urbis sanctæ in qua Servator noster magnum Redemptionis peregit opus, Hierosolymitanus Episcopus Patriarcha vocari meruit. Hos inter Patriarchas, præterquam quod unus ab altero ratione ordinis differebat, non erat discrimen, aut in potestate disparitas, nec unus in alterum quicquam habebat juris, sed unusquisq; in suo patriarchatu erat summus.

LXV. Hæc erat, Hierarchia in veteri Ecclesia, ut Presbyteri Episcopis, Episcopi Metropolitanis & hi rursus Patriarchis subessent. In Pontificia Ecclesia hodiē VII. communiter sacri numerantur ordines, videlicet Sacerdos, Diaconus, Subdiaconus, Acoluthus, Lector, Exorcista, & Ostiarus. Hos in majores & minores porro dividunt. Minoribus annumerant Ostiarios, Lectores, Exorcistas & Acoluthos: Majoribus verò Subdiaconos, Diaconos & Sacerdotes, sive sint simplici-
ter Sa-

1. 1. de Cler.
c. XIV.

1. Tim. III
2. 12.
Tit. I. 6.

Rom. XII. 1.

1. Tim. V. 17

1. Eb. XIII. 17.

1. Cor. IX. 14

ter Sacerdotes sive Episcopi. Majoribus & annumerandi sunt à consilijs qui summo sunt Pontifici. Cardinales aliàs dicti, quorum officium teste Bellarmino triplex est, *Primum, ait, est commune cum Episcopis, Presbyteris & Diaconis cæteris: Omnes enim Cardinales aut Episcopale aut Presbyterale aut Diaconale officium habent; Alterum officium est summum Pontificem eligendi: Postremum eidem Pontifici perpetuo assistere eumque in regenda universa Ecclesia consilio & industria adiuuare.* Omnibus hisce ordinibus tam majoribus, quam minoribus iure apostolico cœlibatum annexum esse, dicunt, ita ut nec ducere uxores nec uxoribus antea ductis post ordinationem uti liceat. Quantumvis ipse Apostolus illis in locis, quibus describit, quales Episcopos, Presbyteros & Diaconos esse oporteat, expressè uxoratos ad omnia illa officia admittat, modo plures unâ uxores simul non habeant. Omnes item Clericos à potestate seculari exemptos esse volunt non tantum in causis omnibus civilibus sed & criminalibus, non obstant hoc quod Apostolus dicit: *Omnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit.* Quæ verba Chrysostomus etiam ad Clericos pertinere putat; Subjungit enim illis statim: *etiamsi Apostolus sis, etiamsi Evangelista, etiamsi Propheta, sive quisquis tandem fueris, Neque enim pietatem subvertit ista subiectio. Et non simpliciter dicit obediat, sed subdita sit.* Et hæc de Rectoribus Ecclesiæ, qui nihil aliud sunt, quam ecclesiastici Magistratus.

LXVI. Cæteri qui in Ecclesia locum tenent, ut parentes se habent in ordine ad Ecclesiæ Rectores, quamvis alio respectu aliqui eorum imperantes sint. Horum est verbi ministros eo, quo par est, honore prosequi, iisdem obedire & de necessarijs prospicere. Iubet hoc ipse Apostolus; *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in sermone & doctrina. Obedite gubernatoribus vestris, & auscultate eis: ipsi enim vigilant pro animabus vestris, tanquam homines, qui reddaturi sunt rationem vestri, ut cum gaudio faciant hoc & non cum gemitibus, nam non est utile vobis. Dominus constituit iis, qui evangelium annunciant, ut ex Evangelio vivant. Sed tantum.*

SOLI DEO GLORIA.

Li 3492

i

GLE HALL
072 151

VL 77



Contenta hujus Libri:


1. Tractatus de Arte Nova, Calixti.
2. De Immortalitate Animae, et Resurrectione carnis, Egidii.
3. De Purgatorio, quod Malmannus, Conringii.
4. De Conciliis, Summā circa ea potestate, Egidii.
5. Testimonia de necessitate B. operum ad salutem.
6. De Cultu S. Virginis Mariae ep. Pfficios.
7. De gratuita Iustificacione coram Deo, Calixti.
8. De Primatu Rmi Pfficios, Egidii.
9. De Ecclesia, Cellarii.
10. De Poenitentia, quod Pfficios, Egidii.
11. Miscellanea.

ULB Halle

3


002 163 462





DE
DE
→





OLOGICA
LESIA

T. MAX.

DIO
**CELLARII
OFESSORIS**

PERINTEN-
RIS SVI,
IVLIA

MINI
RIDIANIS

ij

ICVS BORN
ngus.

ADI,
MVLLERL

5